

EMENDATIONES LIVIANAE.

DISSERTATIO

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

PRO SUMMIS

IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

DIE XI MENS. Febr. A. MDCCCXXXXIIII.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

EDUARDUS WELZ

CERVIMONTANUS.



ADVERSARIORUM PARTES SUSTINEBUNT:

R. TAGMANN, stud. philol. et sem. reg. phil. sod.
H. PURMANN, stud. philol. et sem. reg. phil. sod.
E. REIMANN, stud. philos. et sem. reg. histor. sod.

NEOSTADII S/S. TYPIS CAROLI GROSS.

Vratislaviae cum litteris humanioribus operam navarem et studiorum meorum cursu aliquando etiam ad Livii annales quam accuratissime legendos ducerer, factum est ut scriptoris animi integritate ac candore et annalium ipsorum suavitate ac pulcritudine pariter atque multis eisque saepe numero gravibus difficultatibus adlectus etiam in posterum huic scriptori mecum in animo constituerem diligentiam impendere et iam nunc eos locos, qui minus recte constituti viderentur, emendare, praesertim cum tam multa, quae emendatrice adhuc egerent manu, superesse viderem, ut si umquam omnia in pristinam veramque formam redigere vellem, primo quoque tempore initium capere deberem.

Scatent enim Livii annales multis adhuc atque gravibus mendis, neque ullam paginam ita hodie in editionibus vulgatis exhibitam dicas, ut a Livio eam profectam esse existimes. Etenim viri docti non solum tantam in Livii historiarum libris emendandis diligentiam non collocarunt, quantam rei magnitudo postulabat, sed etiam difficultas et obscuritas in rebus ipsis posita quo minus verum cognosceretur impediit. Neque minima difficultas in eo sita est quod Livius proprium ac novum sibi finxit scribendi genus, quod ab aliorum, potissimum Ciceronis dicendi genere multum abhorret. Hoc autem qui non

perpetua Livianorum annalium lectione cognovit, is profecto numquam ex Livianis emendationibus magnam capiet gloriam.

Multi quoque adhuc exstant loci, ubi ea verba, quae recepta codicum optimorum scriptura habebis, non dubitare poteris quin Livius scripserit.

Quod igitur cum viderem, eos potissimum locos emendare constitui, quibus codicum scriptura integerrimorum medicina adferri posse mihi videbatur. Non nullis autem locis, ubi in codicum scriptura nihil auxilii inesse coniecturisque me supersedere non posse vidi, ita mihi agendum esse putavi ut ex corrupta codicum scriptura vera Livii verba facillime restitui posse ostenderem.

Jam possit aliquis dicere, optimi codices cum fere semper optimas praebeant scripturas, earum praestantiam demonstrare supervacaneum esse. Sed fallitur id qui dicit. Nam ii qui ante me Livio operam navabant etsi pariter atque ego optimorum librorum scripturas noverant, tamen malas eas esse rati reiiciebant; meum igitur est ostendere illos viros doctos erràsse, et demonstrare cur praestantissimorum codicum scripturae contra illorum opinionem retinendae sint.

Nova subsidia critica ad hoc usque tempus ad manus mihi non fuere, nisi Alschefskii novam primae Livianorum annalium decadis editionem novum vocare velis subsidium. Haec enim editio cum accuratissimam optimorum codicum collationem ab ipso Alschefskio institutam contineat, multis locis verum egregie me docuit. Nam etsi plerique quos emendavi loci non ex prima, sed ex tertia annalium decade sunt deprompti, tamen ex Alschefskii editione magnam capere potui utilitatem, quod quid aliis locis optimi exhiberent libri mss. mihi ostendit. Et omnino dicere vix possum, quam multas res Alschefskius hac editione me egregie docuerit quantam-

que mihi voluptatem adtulerit cum propter alias res, tum propter crisin Livianam rectissime factitatam.

Quamquam Alschefskius non ubique verum vidit, tamen quantam diligentia sua utilitatem optimis litteris adtulerit, verbis comprehendi vix potest.

Quod rationem adtinet qua rem criticam factitavit vir doctissimus, non in codicum multitudine, sed in eorum integritate et antiquitate verissime iudicat rei criticae omne bonum positum esse censetque rectissime, ubi optimi libri manu scripti, modo eorum scriptura sententiam contineat sanam neque contra communes linguae leges peccet, consentiant, ibi omnium aliorum librorum turbam minime esse respiciendam; ubi tamen hi libri optimi inter se discrepent aut ubi eorum scriptura non sit probanda auctorisque igitur verba non statim cernantur, aliorum codicum copiam esse adhibendam, ut res dubiae diiudicari queant. Omnino tum demum ad coniecturas capiendas critico licere transire, ubi neque in bonis nec in pravis codicibus ullum reperiat auxilium. Huic autem Alschefskii sententiae lubentissime equidem subscribo.

Jam quaeritur num eiusmodi exstent codices Liviani, quibus ubique fere antiquam Livianorum annalium formam restituere possimus. Et huic quidem quaestioni optimo iure respondere possumus, esse re vera eiusmodi libr. mss.

Cum optimos primae decadis codices Vormac. Rhenani, Florent. (Medic. ap. Alsch.), Paris. et praeter hos Harlei. I. et Leid. esse non sit quod moneam, iam cum ex tertia decade plerosque quos emendavi locos deprompserim, pauca de huius decadis libris manu scriptis dicam.

Ac primo quidem omnium loco ponendus est egregius ille liber, quem *Puteaneum* appellare solemus. Hunc librum et equidem longe optimum esse cognovi et Gro-

novius et alii testati sunt, ita quidem ut Alschefskius tom. I. praef. pag. VII. Putaneum „omnium Livianorum manu scriptorum praestantissimum" diceret. Dolendum autem est quod nondum accurata huius codicis facta publici iuris est collatio. Nam J. Fr. Gronovium nullo pacto dicere possumus accuratam nobis praebuisse collationem.

Qui vir de Livii historiarum libris immortaliter meritus cum omnino hac in re nimis leviter versatus est, tum nihil fere aliud in conferendis mss. egit, nisi ut locos quos ex perpetuis Livianis studiis corruptos esse sciebat, ex codicibus emendaret. Quae tamen verba istos locos aut praecedebant aut sequebantur, ea Gronovium non movebant. At ne in iis quidem locis, ubi Putean. scripturam a Gronovio adlatam habemus, semper securi esse possumus, cum saepe numero in adscribendis codicis scripturis erraverit. Itaque huius libri longe optimi auxilio fere ubique adhuc destituti sumus. Nam ex eo quod Gronovius de Puteanei scriptura nihil dicit, minime omnium sequitur eius scripturam consentire cum vulgata.

Nihil igitur magis exoptandum est quam mox ut Alschefskius tertiam Livii decada edat, ut reconditae Puteanei copiae in lucem tandem proferantur.

Altero qui nobis loco est, Florentinus codex, Puteaneo melius multo collatus, maximam iam praebere debet critico utilitatem. Etenim cum non solum ubique fere optimas habeat scripturas, verum etiam integerrimam verborum collocationem, huius potissimum libri auctoritate freti Livii verba restituere in integrum debemus. Equidem hunc librum maxime secutus sum, ubi non nullos aut certe unum codicem cum eo consentientem inveni.

Tertio loco ponendus est liber egregius, quem Jacob. Gronovius testatur proxime ad Putean. accedere, dico cod. Cantabrig. Sed ne hic quidem liber satis notus est.

Codicem Bambergensem, qui Alschefskio teste haud ulli excepto Puteaneo libro bonitate secundus est, equidem non ipse cognovi, cum eius scripturas accipere nequirem; inter optimos eum esse referendum ex iis conclusi quae hic illic notata inveni. Et hi quidem sunt libri, quorum auxilio tertia decas emendanda et ad pristinam formam redigenda.

Praeter hos non pauci alii sunt codices, quorum tamen scripturae ibi tantum in partem vocari possunt, ubi Putean. Flor. Bamberg. Cantabr. nos deserunt. Ex tribus autem Palatinis libris secundus mihi videtur primo esse melior; neque Vossian. Loveliani quinque (praecipue primus) Lips. Harl. contemnendi sunt libri. Codd. vero Rhenan. (quicum non raro Harleian. in eo consentit quod Livii verba, quae docto cuidam librario non necessaria sunt visa, omittit) Recan. Berolin. Gaertn. non magnam habent auctoritatem.

De editionibus Livianis me hic dicere cum non necesse sit, breviter tantum moneo edit. princ. ex officina Arnoldi Pannartzii et Conr. Sueynheymii Rom. a. 1469 prodiisse et optimas post eam esse Mogunt. a. 1518 curis Nicol. Carbachii et Vulfgangi Augusti editam, Basil. 1535 ex Frobenii officina et Sigonianam a. 1555.

J. Fr. Gronovium immortalem sibi comparasse gloriam observ. critt. Livian. inter omnes constat; neque Drakenborchii diligentiam parvi habendam esse sciunt qui Livium noverunt; Bekkerianam denique editionem ubique respiciendam esse non est quod moneam, quamquam non eam praebet utilitatem quam forsitan expectes. Kreyssigii postremo editionem stereotypam equidem propterea respexi quod ad codd. Bamberg. et Vindob. fidem passim reficta est.

His breviter addam Fabrii librorum XXI—XXIV editionem et quod interpretationem et quod rem criticam

adtinet valde laudandam esse; permulta ex ea et iuvenes, quorum in usum conscripta est, et viri docti discere possunt, praecipue qui in Livii annales diligentiam conferunt.

In omnibus autem Livii editionibus multa adhuc exstare, quae non a Livio profecta esse videantur, quis neget? *)

His praemissis iam ad rem ipsam adgrediamur.

*) Confer. his de rebus Alschefskii libellum de arte critica in Livii annalibus factitanda vernacul. conscriptum. (Programm des Gymnasiums zum grauen Kloster, Berlin im März 1839.)

Livii libr. V. 17. §. 1. in prioribus editionibus scriptum est: *ingens inde haberi captivus vates coeptus*, *eumque adhibere* cet.; Alschefskius autem exhibet: *ingens inde haberi captivo vati honos coeptus*, *eumque adhibere* cet. Sed errat Alschefskius et ostendam equidem cur prior scriptura sit servanda. Habet autem Alschefskio teste Med. *ingens inde haberi captivo vati honos coeptus captivus vates coept' eumque* cet. Ex Drakenb. edit. adscribere debeo, verba: *captivus vates coept'* a manu altera deleta esse. Codd. Neapp. praebent: *ingens inde haberi captivo vati honos coeptus eumque* cet. Paris. *ingens inde haberi captivus vates coeptus eumque* cet. Omnes Drakenborchii libri praeter Medic. cum Paris. faciunt. Videmus igitur iam antiquitus duas exstitisse scripturas, quarum utraque pari modo i. e. uno ex optimis codice munita. Medic. enim, qui utramque scripturam coniunxit, alteram delevit. Codicum numerum si respiciamus, non dubitare possimus quin *ingens inde haberi captivus vates coeptus eumque* cet. vera sit scriptura; cum vero non codicum numerus, sed auctoritas decernere possit quae scriptura sit recipienda, auctoritate autem Parisinus par sit Florentino, aliae caussae sunt adferendae, propter quas Alschefskii scripturam reiiciam.

Ac primum quidem notum est librarios saepe numero explicationis caussa aliquid verbis a scriptore positis addidisse. Quod si fecerunt, non elegantes dictiones aut exquisita verba usurparunt, sed quam simplicissime scripserunt oratione nullo pigmento colorata usi. Nostro loco, ubi duae sunt inter se diversae scripturae, Livius autem alterutram tantum exhibere potuit, elegantiorem putemus necesse est a Livio esse profectam. Nihil autem simplicius cum sit dictione *captivo vati ingens honos haberi coeptus*, oportet alteram scripturam: *ingens haberi captivus vates coeptus* Livianam habeamus, quippe quae rarior multo et exquisitior sit.

Deinde, si quis honorem in aliquem conlatum esse dicit, mea sententia addat necesse est, qualis ille honos fuerit; nam ex eo quod honore aliquem adfectum scimus, nondum quo modo honoratus ille sit colligere possumus; honores enim inter se valde diversi esse possunt.

Procul dubio verba quae Alschefskius exhibet lectori non satis faciunt. Neque sequentia verba: *eumque adhibere tribuni* cet. qualis ille honos fuerit ostendunt, cum antecedentia non explicent, sed non solum ingenti honore doceant vatem exornatum, verum etiam ad alias res perficiendas adhibitum esse. Verba autem: *eumque adhibere* cet. non explicationem continere eorum quae antea dicta sunt, iam simplex *que* copula ostendit, quippe quae semper et ubique novi aliquid ad priora addi significet. cf. Reisig. schol. gramm. lat. §. 233. Itaque, ut repetam, et ingens honos captivo vati habitus est et tribuni militum eum ad prodigi Albani procurationem ac deos rite placandos adhibuerunt. Sed qualis ille fuerit honos non dicitur. Et tamen dicatur oporteat, si vera esse debeat illa scriptura.

Aliter autem res se habet servata Bekkeri aliorumque scriptura; haec enim nullam efflagitat explicatio-

nem, ut quae iam per se clara sit. Nam cum antea vates captivus in nullo numero fuisset, *) iam adlata ab legatis ab Delphis venientibus sorte oraculi congruente responso captivi vatis**) permagni ducebatur, ut qui divino spiritu instinctus excidium Veiorum fatale prodidisset. Magnum igitur et diis acceptum habebant Romani virum, et tribuni eum adhibebant ad deos placandos.

Quod Alschefskius ut Bekkeri scripturam falsam demonstret dicit: „verum sicubi Livius voce *ingens* ita utebatur, solebat etiam addere ablativum rei, qua quis magnus factus esset. cf. ex. gr. IV, 6: Canuleius victoria de patribus et plebis favore ingens, XLII, 12: inter ipsos reges ingentem auctoritate," id nihil demonstrat, cum duo hi loci, quos iam Drakenborchius attulit, nullo modo ostendant Livium ubique voci ablativum addidisse. Deinde, uti illis duobus locis ablativus adderetur necesse erat, quo quid *ingens* illud sibi vellet apertum fieret, cum non addito ablativo facile aliam admitteret explicationem, ita nostro loco ablativus prorsus supervacaneus erat, immo prorsus ineptus, cum vim totius sententiae infringeret. Drakenborchius recte dicit: „ingens haberi i. e. multae auctoritatis."

Denique tertiam caussam propter quam reiiciam Alschefskii scripturam iam accipito. Puto enim equidem ad *honos* substantiv. non aptum esse particip. *coeptus* h. l. ponere, cum non tantum, voce *honos* probata, ingens honos haberi *coeptus* sit vati, sed re vera habitus; cur tandem dicat Livius honorem haberi coeptum esse? an Romanos credamus tantum vati *coepisse* honorem habere, honorem

---

*) Cf. cap. 15. §. 12: sed auctorem levem nec satis fidum super tanta re patres rati, decrevere legatos sortesque oraculi Pythici expectandas.

**) Cap. 16. §. 8.

ipsum non habuisse? Hoc profecto nemo umquam affirmabit. Aliter res habet in verbis sequentibus. Tribuni enim vere vatem ad procurationem cet. adhibere inceperunt. Nam antea vates neglectus erat a Romanis neque quidquam facere debuerat; iam vero incipiebant tribuni eum adhibere ad prodigi Albani procurationem. At ingens honos non tantum coeptus est haberi, sed re vera habitus. Verum *ingens coeptus est haberi vates* ante neglectus, bene habet.

Cum igitur non nulla inesse videamus in Alschefskii scriptura quae haud facile queant probari, revocemus scripturam ante Alschefskium vulgatam.

Sed transgrediamur ad Livii libr. VI. 1. §. 2, ubi iterum Alschefskium errasse demonstrabo. Scribit autem Alschefskius: *tum quod et rarae per eadem tempora litterae fuere*, cum procul dubio priorum editorum scriptura: *tum quod parvae et rarae per eadem tempora litterae fuere* vera sit. Sed primum codicum scripturas adferre liceat. Cod. optimus Vormac. Rhenano teste habet: *tum quod parvae et rarae per* cet.; in altero Vormac., qui priore peior est,*) ab altera manu deleta est vox *parvae*. Sigonius ait, vet. libr. habere *tum quod et rarae per* cet.; Gebhardus testatur veteres edd. (omnes edd. ante Aldinam, quae *tum quod perrarae per* [ex coniectura] habet) et Pall. tres praebere idem quod Vormac. optim., idemque meliores codd. exhibere J. Fr. Gronov. adfirmat. *Tum quod et rarae per* est, ut Drakenb. docet, in Voss. 1. m. 1. Voss. 2. Lovel. 3. 5. Harl. 2. Gaertn. Portug. Klockian. Haverk. Hearnii Oxonn., sed *tum quod parvae rarae* in Leid. 1. et Harl. 1., *tum quod parvae et rarae* in Flor. Voss. 1., in marg. Leid. 2. Lovel. 1. 2. 4. fragm. Hav. Neapol. Latinii. Alschefskio denique teste Paris.

*) Cf. Alschefskii praef. ed. Liv. tom. I. pag. IX.

optimus exhibet *tum quod et rare per*, cui adsentitur alter Paris. eiusdem decimi saeculi, et in tertio quodam Paris. paullo recentioris aetatis altera demum manu ante *et rarae* vox *parvae* addita est.

Itaque si codices solos respicimus procul dubio *tum quod parvae et rarae* legere debemus; nam Pariss. illi Alschefskii non superant auctoritate codd. Vormac. Florent. Harl. 1. Leid. 1., quarum in duobus posterioribus *et* copula tantum scribarum errore sublata est.

Jam Alschefskii verba, quibus quae fuerit erroris caussa demonstrare conatur, adponere liceat; ait autem haec: „iam antiquis librariis, qui non viderent *quod et* aptissime cohaerere cum sequenti *et quod*, adiectivum quoddam ante *et rarae* excidisse videbatur; inde factum est, ut *parvae* — in tertio quodam Paris. — adderetur et in cod. Rhen. et in M. in integram orationem reciperetur." Sed ea mera est opinio; re vera rem ita se habuisse Alschefskius demonstrare non poterit. Eodem iure, immo meliore, dicere possum propterea quod *parvae* et *rarae* non multum, quod litteras quibus exarantur attinet, differant, *parvae* facile excidere potuisse. Et haec quidem Alschefskii caussa nihil valet, quamvis *quod et* atque *et quod* arctissime cohaerere posse non negem.

Quod deinde Alschefskius dicit vocem *pleraeque* tum demum integram videri, cum *quod et* — *et quod* arctissime coniungantur, id quidem verum est, sed nihil demonstrat, cum non minus verum sit vocem *pleraeque* rectam esse, modo *quod* — *et quod* arcte cohaerere putentur. Et haec quidem mea est sententia.

Jam vero ostendam necesse est, quo modo equidem plurimorum optimorumque codicum scripturam interpreter ac defendam. Ac vult quidem Livius docere, cur res quas quinque libris exposuerit valde obscurae sint; hoc ut efficiat, alteram caussam dicit positam esse in rerum

vetustate nimia, alteram in litterarum condicione. In litteris autem*) caussam esse propterea quod eae cum parvae et rarae per ea tempora fuerint, tum incensa urbe pleraeque interierint. Ita si rem intelligamus, nihil obscuri remaneat. Clarior ut fiat interpretationem vernaculam adponam: Was die Römer von der Erbauung der Stadt Rom an bis zur Eroberung derselben zuerst unter Königen, dann unter Konsuln, Diktatoren, Dezemvirn und Konsulartribunen vollführt haben, ihre auswärtigen Kriege, ihre inneren Unruhen, das habe ich in fünf Büchern dargestellt, Dinge, welche theils durch ihr allzu hohes Alter dunkel sind, gleich Gegenständen, die großer Entfernung wegen kaum gesehen werden, theils, weil schriftliche Aufzeichnungen, welche allein das Geschehene treu bewahren können, zu eben jener Zeit kurz und selten waren, und weil diejenigen, welche sich etwa in den Kommentaren der Pontifizen und in andern öffentlichen oder Privatdenkmalen befanden, bei dem Brande der Stadt größtentheils verloren gegangen sind.

Ita verba coniungenda esse et sententiarum nexus et verba ipsa luce clarius demonstrant. Coniunctionibus enim *cum* — *tum* duae caussae adferuntur, propter quas res ab Romanis inde ab condita urbe usque ad captam urbem gestae sint obscurae; coniunctionibus *quod* — *quod* duplex alterius caussae ratio significatur.

Et iam non video cur *parvae* Alschefskio displiceat; etenim praeterquam quod ea vox codicibus satis firmata est, etiam re ipsa fit necessaria. Nam quod *litterae rarae* sunt, id nullo modo efficere potest ut res obscurae sint, praesertim cum non omnes litterae incensa urbe interierint (pleraeque interiere); sed *parvae litterae* simulque *rarae*

*) I. e. in quibusvis, ut recte J. Fr. Gronovius dicit, scripturis et ingenii monumentis conscriptis litterisque traditis, cf. Liv. XXV. 1, 12; Liv. VII. 3, 6; Caes. bell. Gall. VI. 14.

et maximam partem incendio consumptae faciunt ut minus notae claraeque sint res. Etenim si litterae igni non concrematae magnae et copiosae fuissent, rebus obscuris exoptata adferri lux potuisset. Quare nullo modo *parvae* omitti debet.

His duobus locis, quibus non paucos alios addere possem, ostendere volui ab Alschefskio nondum omnia facta esse. Jam ad alia pergam.

Et primum quidem dicam de Liv. libr. XXIII. 9. §. 8., ubi vulgatam, etiam a Bekkero servatam scripturam: *deterreri hic sine te potius*, *quam illic vinci* falsam esse affirmo. Vera sine dubio est: *sed hic te deterreri sine potius*, *quam illic vinci.*

Gebhardo enim teste Pal. 2., Palatinorum mea sententia optimus, praebet: *sed hic te deterreri sine quam* cet. omisso *potius* adverbio. Drakenb. Florent. testatur habere: *sed hic te deterreri sine potius quam* cet. Omnes alii codices *sed* coniunctionem omittunt, *potius* adverbium tuentur. *te* denique pronomen abest a Voss. Cantabr. Lovel. quinque Harl. Berol. Gaertn. Hav. Hearnii N.

Jam Gebhardo *potius*, quod plerique omnes tuentur, unius Palatini 2. auctoritate omittere volenti adsentari non possum. Nam quamquam saepe numero *potius* apud Livium omitti verum est,*) tamen, cum multis quoque locis retineatur, nusquam ubi plurimi interque eos optimi codd. habent *potius* debet omitti. Et nostro quidem loco servandum est.

Quamvis *te* pronomen, quod a multis codd. omittitur, facile possit suppleri, praesertim cum Livius haud raro in accus. cum infin. constructione pronomen non ha-

*) Cf. loc. ab Lipsio ad Liv. IV. 33, 3. J. Fr. Gronovio ad Liv. V. 21, 15 et XXVII. 20, 9. Gebhardo ad libr. VII. 20, 8 et XXIII. 9, 8. Dukero ad III. 68, 11. Drakenb. ad XXXIV. 49, 10 adlat.

beat *) totusque sententiarum nexus hic doceat praeter Calavii filium neminem posse intelligi, tamen quin cum Pal. 2. et Flor. recte retineatur non dubito. Etenim ubi optimi codicis scriptura potest retineri, retinenda est, et ita quidem ut nulla in verborum ordine fiat mutatio. Cum autem *te* in Flor. et Pal. 2. ante *deterreri* positum sit, in Livii quoque verbis illum locum teneat.

Jam vero etsi plurimi codices *sed* particulam non habent, tamen et propter duos illos libros mss. servo et propterea quod sensus ratione habita facile fero. Dicit enim pater a filio Hannibalem per suum tantummodo pectus posse transfigi negatque filium patris mortem sponte esse adducturum. Jam Calavius posteaquam verba: *atqui per meum pectus — transfigendusque est* emisit, pergere potuit: *itaque hic sine te deterreri* cet., ut verborum etiam constructione haec sequi ostenderet ex iis quae ante dixerat. At commoto ut est animo, non subtilem, ut ita dicam, facit argumentationem, quod aequae est mentis animique tranquilli, sed quod ex antecedentibus sequitur, id ita proponit, ut ad aliud quid gradum facere utque id ab antecedentibus separare videatur, quod cum iis arcte cohaeret. Eo autem vividiorem multo fieri orationem apparet.

Cohaeret autem, ut hoc addam, sententia hoc modo: neque Hannibalem interficere poteris nisi per patris pectus neque patrem ferire sustinebis; sed haec cum ita sint, sine te deterreri. Haec qui legit, is, ut equidem arbitror, non offendetur *sed* coniunctione, sed loquentem novi aliquid secernere ab antecedentibus intelliget. Tantum igitur abest, ut *sed* coniunctionem putem supervaca-

---

*) Cf. §. 11: ut — fidem daret, nihil facturum tale, XLII. 10. fin.: „consules ob ea irati, senatui — in provinciam abituros esse denunciarunt," ibid. post med. „prae se ferens intercessurum."

neam esse, id quod editoribus visum esse videtur, ut aptissimam habeam ad paterni animi motum significandum et ad vim patris precibus addendam.

Hic adverbium, quod vulgo post *deterreri* positum est, in Flor. et Pal. 2. post *sed* locum habet, quod mihi *sed* retinenti probatur, ut, cum *illic* adverbio respondeat, pariter atque *illic* ante verbum sit positum. Optime autem *hic* ante *deterreri* poni unusquisque videbit, qui quo modo Latini verba quorum aliud ad aliud refertur collocare consuerint non ignorat. Similem verborum positionem habes apud Liv. XXV. 6, 20: „urbes alias Poenus, alias Romanus expugnat," ubi duobus locis *alias* ante substantivum est collocatum. Cf. XXV. 3, 15: „eo ipso quod dificillimum videtur, facilius erit;*) XXV. 22 fin.: „et antea solvisse obsidionem, et nunc adventum suum consules non laturos," alios locos.

Hic etiam ante *deterreri* positum est ut magnam in eo inesse vim significaretur. In *deterreri* enim maximam h. l. vim inesse equidem non crediderim, sed in ea sum opinione ut in particulis locum significantibus eam quaerendam existimem esse; quod iam inde apparet quod duae particulae sunt positae. Etenim iam ex deterrendi et vincendi verbis et ex toto rerum nexu intelligi potest *deterreri* ad eum locum referri, quo Calavius et Perolla inter se conloquuntur, *vinci* autem ad eum, quo cum Hannibale congredi potest filius. Cum enim pater filium deterrere tantum, modo nullo vincere possit, iam adverbiis *hic* et *illic* adiectis optime significatur patrem ex filio petere, ut *hic* apud se in solitudine positum voluntatem potius mutari sinat quam *illic* apud Hannibalem, utque *hic* potius cedat amori atque precibus quam *illic* viribus ac violentiae.

---

*) Ita legendum esse postea ostendam.

Itaque videmus, quamquam etiam in verbis *deterreri* et *vinci* vim quamdam inesse negare non possumus, quippe quae sibi opponantur, tamen maximam sitam esse vim in vocibus locum significantibus. Et hac de caussa *hic* optime ante *deterrendi* verbum ponitur.

His peractis iam clarum puto esse veram me ex optimo codice restituisse scripturam, quibus iam interpretationem adiiciam vernaculam, ut *sed* coniunctionem non falso loco collocatam esse melius etiam ostendam.

Calavius igitur posteaquam multis verbis filium a consilio quod ceperat revocare conatus est, §. 7. sequ. ita pergit: den Blick Hannibals, welchen bewaffnete Heere nicht ertragen, vor welchem das römische Volk erbebt, wirst du ertragen? und gesetzt, es fehlten ihm andere Mittel, wirst du mich selbst zu tödten vermögen, der ich mit meinem Körper den Hannibal schütze? Und doch mußt du durch meine Brust jenen erzielen und durchboren. Aber hier lasse dich lieber abschrecken, als dort besiegen.

Libr. XXV. 6. §. 11. hodie in editionibus, etiam Bekkeriana, legitur: *tamen tantum afuit ab eo, ut ulla ignominia iis exercitibus quaereretur, ut et urbs Roma per eum exercitum, qui ab Allia Veios transfugerat, reciperaretur;* equidem tamen legendum statuo esse: *tamen tantum afuit ab eo, ut illa ignominia in eis exercitibus quaereretur, ut et urbs* cet.

Ac primum quidem liceat codicum variantes scripturas adponere: Sigonius veterem librum habere testatur *quaereretur*, Gebhardus ait, Palat. 1. praebere: *ut illa ignominia inter exercitibus quaereretur*, Palat. 3. *ut illa ignominia iter exercitibus quaereretur*. Drakenborchii libri omnes servant *quaereretur*, et *illa ignominia* pro *ulla* habent Flor. Voss. Lovel. 2. 4. Berol. Gaertn. Hav.; deinde *inter exercitus* est in Voss. Lovel. 1. 2. 4. 5. Harl. Berol. Gaertn. edd. antiquis; *in exercitibus* praebet Hav., *is*

exercitibus Flor. *ut ea urbs Roma* Voss. Cantabr. Lovel. 4. 5. Harl. Hav., *ut ea urbs Romana* Lovel. 1. 2. Berol. Gaertn. edd. Rom. anni 1472 et Parmen. *ut eut urbs Roma* Florent. (*eut* autem m. sec. expungitur); *ut et urbs Romae* habet Froben. anni 1531. *)

Jam vero Laurentius Valla legendum opinatur esse aut: *ut ulla ignominia tribus exercitibus inureretur, ut etiam urbs Roma*, aut: *ut ulla ignominia iis exercitibus quaereretur, ut etiam urbs Roma*. Priorem scripturam *tribus exercitibus* Laurentius his verbis defendit: „fuerunt autem tres exercitus, qui rem publicam ante hoc bellum afflixerunt, duo ad Furculas Caudinas, tertius ad Alliam." Sed verba *tribus exercitibus* unde sint hausta equidem nescio; certe ex codd. sumpta non videntur et iure optimo ab omnibus iam reiecta sunt.

Vallae autem scripturam alteram etsi viri docti integram receperunt (praeterquam quod pro *etiam* exhibuerunt *et*), tamen ego non possum probare. Namque videmus plurimos in eisque optimos codices (Puteanei scriptura non est nota) *illa* pronomen habere, non *ulla*; codices autem quorum scriptura apud Drakenborch. non adlata est quamvis praebeant *ulla*, tamen non tantam habent auctoritatem ut Florentinum, Pall. Voss. alios erroris convincere possint. Deinde, licet *illa* et *ulla* pronomina saepe numero in codd. confundantur,**) tamen, ubi optimi et plerique codd. *illa* servant, ibi, modo ulla ratione

---

*) Quod formam *reciperaretur* attinet, conf. Drakenb. ad Liv. VII. 18. 1, ubi saepe numero optimos codd. *reciperare* pro *recuperare* praebere ostendit. Hoc autem verbum, cum secundum Vossium recentiorum sit, ubi non optimis codd. praebetur, reiiciendum et pro eo *reciperare* est restituendum.

**) Cf. Drakenb. et Alschefsk. ad Liv. II. 56, 12 et Drakenb. ad libr. XXV. 11, 3.

defendi possit, retinendum est. Et nostro loco bene habere *illa* videbimus.

In eis verum mihi videtur esse ex codicum vestigiis. Scripturam enim plurimorum codicum *inter* — *iter* facilius potuisse oriri ex verbis *in eis* quam ex pronomine *iis* existimo. Ex ablativo autem, qui ad vocem *iter* et *inter* in Pall. libris positus est, praepositionem apparet ablativum regentem scriptam a Livio esse, quam haud facile aliam quam *in* fuisse dixeris. Cum tamen ex Liviana scriptura *in eis* enatum esset *inter*, fiebat ut ablativus *exercitibus* mutaretur in accusat., ut praepositio eum ad se haberet casum, quem habere debebat. Etiam cod. Hav. praepositionem adfuisse ostendit, cum omisso pronomine *in* exhibeat. Florent. sane codex, qui *is exercitibus* i. e. *iis exerc.* *) praebet, vulgatam scripturam tueri videtur; at res aliter habet. Primum enim unus est codex qui *is* exhibet; deinde sensus, quem infra exponam, dativo posito non satis placet; denique quo modo ex *iis* sive *is* oriri potuerit *inter* intelligi nequit.

Sequens *et* coniunctio etsi nullo in codice inesse videtur, tamen vera est tum quod codicum scripturae *(ea* et *eat)* fere docent *et* obtinuisse, tum quod orationis ratio duplex *et* paene expostulat.

Jam vero vulgatam scripturam editores ita videntur defendere, ut militem qui hic loquatur dicere adfirment, se suosque sodales ad Cannas pulsos immerita ignominia esse adfectos, praesertim cum ne aliis quidem alias victis exercitibus ulla ignominia sit quaesita.

Dictionem *ignominiam alicui quaerere* interpretes defendunt aliis et similibus, velut: mortuo honores quaerere**),

---

*) *Is* Florent. saepe pro *iis* habet, cuius rei exemplum vide apud Alschefsk. ad Liv. IV. 16.

**) Cic. Phil. IX. 1.

sibi invidiam quaeri, *) et Sigonius, quicum Gebhardus consentit, quaerendi verbum dicit huic loco eo accommodatius esse quod genus ignominiae, qua notati sint Cannenses milites, novum neque umquam antea usurpatum sit. Dictionem veram et bonam esse equidem non negem; sed inde non sequitur h. l. veram esse. **)

Sigonii autem sententiam si veram habeamus, procul dubio *illa* pronomen praeferre debeamus. Nam *ulla* pronomine posito milites in universum non puniti ob cladem acceptam dicuntur esse; utrum tamen hac an illa ignominia non sint adfecti non ostenditur. Sed miles, qui de nova nec umquam antea usurpata ignominia cogitat, (itaque de ea quae in Cannenses milites est quaesita) non facile dicere potest *ulla.* Militem autem de relegationis poena verba facere luce clarius esse debet ei, qui Sigonii sententiam probat. *Illa* autem bene adhiberi potuit ratione relegationis poenae habita, quae orationis initio (§§. 2. 3.) commemorata est, et *illa* pronomen praeferendum vel *iis* legenti est. Militem denique de ea ignominia verba facere, quae in Cannenses milites statuta sit, ***) ex eo apparet quod, ubi ad Alliam prope omnem exercitum fugisse et ad Furculas Caudinas ne expertum quidem certamen hosti arma tradidisse dixit, pergit urbem Romanam per eum exercitum, qui ab Allia Veios transfugerit, reciperatam et a Caudinis legionibus cum armis in Samnium remissis eumdem illum hostem sub iugum

*) Liv. IV. 44, 9.

**) Neque desunt exempla quae quaerendi verbum cum *in* praepositione coniungi demonstrant. cf. Ovid. Metam. XIII. 153: „nec sanguinis ordo, sed virtutis honos spoliis quaeratur in istis." Cf. J. Fr. Gronov. ad Liv. XXV. 38, 18, ubi adfert: „in ponto quaerere pontum."

***) I. e. de relegatione qua quo minus cum hoste pugnare possent impediebantur.

missum esse, qui Romanorum clade laetatus sit. Cum autem miles dicat fusos milites non esse relegatos, sed in eumdem hostem missos, planum est *illa* pronomen cum codd. retinendum esse.

Huc usque de scriptura *illa* ita disputavi, ut prioribus omnibus concederem interpretibus vocem *ignominiam* significare poenam de aliquo captam ob vitium quoddam contractum; et saepe numero inveniri hac significatione (vernacul. Brandmarkung durch Schimpf) quis neget? innumera enim sunt exempla, quorum unum §. 19. habes: „neque ignominiae finem petimus." Sed significat etiam id quod re quadam male aut turpiter gesta nobis comparamus, vernacul. Schmach, Schimpf. Et hunc procul dubio nostro loco habet significatum.

Puto autem militem ea orationis parte, quae nostra continet verba, non milites in caussa ostendere esse, si fundantur, sed duces aliasve interdum res non in militum potestate positas; milites enim semper et ubique, modo bene ducantur, bene pugnare ac fortiter. Ex eo autem quod §. 6. hic miles ex Marcello petit ut milites noxam cuius arguantur purgare sinat, apparet noxam milites eum non existimare ob cladem acceptam habere, praesertim cum verba: „cuius (noxae) arguimur" addat.

Etiam verbis paragraphi quintae „quem (Marcellum) si ad Cannas consulem habuissemus melior et rei publicae et nostra fortuna esset" et paragraphi sextae: „si non deum ira nec fato — sed culpa periimus ad Cannas, cuius tandem ea culpa fuit? militum an imperatorum?" et exemplis §§. 10., 11., 12. adlatis, quibus in militibus antea cladis acceptae ignominiam quaesitam esse negat, egregie demonstrat neque culpam neque ignominiam in militibus esse quaerendam. Inde autem apparet *in eis* legendum esse.

Etiam sequentia docent, verba: *illa ignominia in eis exercitibus* cet. esse a Livio profecta, ubi Cannensem exercitum non fugae aut pavoris posse insimulari dicit. Qui tamen illarum rerum incusari nequit, in eo ne ignominia quidem quaeri potest.

In Caudinis autem legionibus ait ignominiam quaeri potuisse, quae ne expertae quidem certamen arma hosti tradiderint, sed non in Cannensibus, quae tam fortiter pugnarint ut plus quinquaginta milia ceciderint, ut consul cum septuaginta equitibus fugerit, ut nullus alius evaserit nisi quem hostis caedendo fessus reliquerit.

Neque tamen hic orator negat milites ignominiam habere cladibus acceptis, sed inficiatur eam in militibus quaerendam esse, cum non ipsorum culpa contrahatur.

Milites ignominiam habere ipse §. 16.*) et §. 18.**) ostendit.

Mea, ut ne hoc quidem omittam, loci explicatione admissa *illa* pronomen referri debet ad clades illas ad Alliam flumen et Furculas Caudinas aliasque acceptas, quarum ignominia non in militibus est quaesita. Et ita sine ulla controversia *illa* pronomen recte est explicitum.

Hac ratione si *illa* interpretamur non opus est ut verba: *illa ignominia* ex huius capitis initio***) longo interposito intervallo explicemus.†)

Vocem *ignominiam* eodem sensu quo hic usurpatam habes apud Liv. IV. 53, 4: repente nunciatur arcem

*) Hostis denique est datus, cum quo dimicantes aut vitam semel aut ignominiam finirent.

**) Ubi senescamus in exsilio, ne qua spes, ne qua occasio abolendae ignominiae — sit.

***) §. 2.: consulem te, M. Marcelle, in Italiam adissemus, cum primum de nobis etsi non iniquum, certe triste senatus consultum factum est, cet.

†) De huius exercitus relegatione cf. Liv. libr. XXIII. 25.

Carventanam ab hostibus occupatam esse; ea ignominia accepta cum apud patres invidiae Menio fuit cet., et XXXVIII. 46, 9: si nihil in Thracia cladis ignominiaeque foret acceptum cet.

In imperatoribus, non in militibus cladis ignominiam quaerendam esse Livius etiam libr. V. 9. init. his verbis ostendit: primores patrum, sive culpa sive infelicitate imperatorum tam ignominiosa clades accepta esset" cet.

Jam, ut ad umbilicum perducam hanc de hoc loco disputationem, relicuum est ut interpretationem vernaculam addam, quae quo modo intelligam locum melius etiam docere poterit. Est autem haec:

An der Allia floh fast das ganze Heer; bei den kaudinischen Gabelpässen überlieferte es dem Feinde die Waffen ohne den Kampf versucht zu haben, um anderer schmachvoller Niederlagen zu geschweigen; jedoch weit entfernt, jene Schmach in jenen Heeren zu suchen, ließ man sogar die Stadt Rom durch das Heer, welches von der Allia nach Veji geflohen war, wieder erobern, et quae sequuntur.

Libr. XXV 11. §. 12. Hunc locum equidem ita exhibendum iudico esse: *Hannibal convocatis principibus Tarentinis omnes praesentes difficultates exposuit: neque arcis tam munitae expugnandae cernere viam neque in obsidione quidquam habere spei donec mari potiantur hostes.*

Drakenb. Bekkerus Kreyss. pro *principibus Tarentinis* habent *principibus Tarentinorum*, et pro *cernere viam* ordine inverso *viam cernere.* Scripturam *principibus Tarentinis* olim iam ab Aldo receptam, sed a sequentibus editoribus reiectam, ex optimis libris mss. Florent. et Cantabrig. iterum restituendam esse censeo. Drakenborchius quamquam in adnotatione ad h. l. *Tarentinis* sibi probari dicit verbis: „quibus *) invitis alterum **) pro-

*) Sc. Flor. et Cantabr.

**) Sc. Tarentinorum.

bare vix audeo," tamen in Livii verbis retinet genitivum, quem J. Fr. Gronovio teste *plusculi* ex libris mss. habent. Qui tamen illi plusculi sint quod Gronovius non dicit valde dolendum est. Etenim si de Puteanei scriptura nos certiores fecisset, omnis huius loci difficultas sublata esset, cum Puteaneum sequi deberemus.

Jam vero, cum eius scriptura adhuc ignota sit, haud dubie consultius erit optimos post Putean. codices sequi et genitivo praeferre ablativum.

Quod ad sensum adtinet idem est sive ablativum sive genitivum ponis; sed cogitandi ratio quodam modo mutatur. Genitivum enim si malis, omnes tibi cogites Tarentinos quasi totum aliquod necesse est, ex quibus non nullos et eos quidem eligas qui sunt principes; nam non omnes sunt principes; ablativum autem sin praeferas, non tibi in animo fingas oportet omnes Tarentinos, e quibus non nullos eligas, sed nulla omnium ratione habita tantum cogites de principibus.

Neque hic solus apud Livium locus est, quo nomen *princeps* cum adiectivo populum significante coniunctum est, sed praeter alios etiam est libr. XXXVIIII. 8, 2: „convocato concilio Aetolos principes quid agendum esset consuluit," ubi quamvis codices varias habeant scripturas (quas vide ap. Drakenb.), tamen cum Drakenb. et Bekkero *Aetolos* veram esse existimo. Eodem modo recte cum optimis libris mss. XXVI. 27, 7 a Drakenb. et Bekkero et Kreyssigio exhibitum est: „servus—indicavit dominos et quinque praeterea iuvenes nobiles Campanos," ubi etiam plurimi perperam *Campanorum* praebent. Sed quid exemplis opus est in re facillima? utrumque enim recte dici posse unicuique apertum est; nostro tamen loco ablativum ponendum esse cum duobus optimis et mihi et omnibus qui hodie rem criticam diligenter tractant certum esse debet.

Sed aliud etiam est quod in hoc loco ferre non possum. Scribunt enim editores *viam cernere*, cum *cernere viam* exhibendum sit. Nam hunc verborum ordinem non solum optimus Florent., verum etiam Voss., liber haud contemnendus, Lovel. 1. 2. 4. 5. Harl. Gaertn. Hav. praebent, quem cur tam multis nec iis omnibus malis confirmatum codicibus reiiciamus equidem non intelligo, praesertim cum quod verborum collocationem adtinet Florentinum, si modo unus alterve cum eo consentiat, fere semper sequendum esse et Livium obiecti accusativum lubenter post verbi infinitivum ponere sciam. Cuius rei exempla cum in unaquaque paene pagina invenire possis sufficiat adtulisse libr. XXVII. 44. §. 2: „et consulem in Lucanos ostendisse iter;" ibid. 46, 10: qui prolatando spatium hosti det, eum et illa castra prodere Hannibali et aperire in Galliam iter. XXVI. 2, 8: neminem praeter M. Fulvium ante conrupisse omnibus vitiis legiones suas quam proderet; ibid. §. 14: Scipiones cadere in acie maluisse quam deserere circumventos exercitus. XXVI. 7, 7: profectionem suam, quae salutaris illis foret, abstracturam ad defendendam Romam ab oppugnanda Capua duces atque exercitus Romanos. Ne desponderent animos; tolerando paucos dies totam soluturos obsidionem.

Quamquam negare non possum multos quoque inveniri locos ubi res aliter habeat, tamen nostrum locum quin recte equidem restituerim non dubito.

Mireris forsitan ordinem me retinuisse *potiantur hostes*, cum Florent. habeat *hostes potiantur*. Sed scripsi hanc mihi ipse legem, ne quid unius, quod ad verborum collocationem adtinet, Florentini codicis auctoritate immutarem, nisi aut gravis adesset caussa cur ita ut ille codex habet scriberetur, aut legitima quaedam et firma fere esset Liviana collocatio. Legitima collocatio, ut exemplum adferam, est, ubi inter participium et verbum

finitum in passivo ea interponuntur, quae cum his vocibus arctissime coniungenda sunt sive ad quae verbi vis maxime pertinet. cf. XXIII. 2, 3: quo res male gesta ad Trasimenum est. I. 7. post med.: miratae eae gentes fuerant. XXIII. 28, 12: ita iam coepta obsidio omissa ab Romanis est, XXVI. 1, 2: Q. Fulvio Ap. Claudio — prorogatum imperium est." *)

Accedit, ut ad nostram rem redeamus, quod Livius libenter verbo ante substantivum posito sententiam claudit ipso substantivo, nullo discrimine facto utrum sit participium, an infinitivus, an verbum finitum. cf. XXIII. 2, 1: inde Capuam flectit iter. XXIII. 6, 3: uti deletum omnibus videretur nomen Romanum. XXIII. 1, 8: nec evasisset quisquam ni mare propinquum et haud procul littore naves — dedissent effugium; ibid. 2, 2: Pacuvius Calavius — malis artibus nanctus **) opes; ibid. 9. 4: ut eam ipsam mensam cruentares hospitis sanguine. 25. 19, 15: ut conspecta inter se agmina sunt — extemplo instructae acies; ibid. §. 16. fusa extemplo est Romana acies.

Certae sane regulae non fieri potest hac de verborum collocatione ut exhibeantur, quippe cum in scriptoris et voluntate pulcrique sensu ct sententia de rebus iis quae sint graviores, quae leviores positum sit, qualem velit eligere collocationem, praesertim ubi plures collocationes rectae veraeque esse possint. Semper enim et ubique, si regulam proposueris, quae in eam non quadrent invenies. Neque enim rara sunt alterius positionis exem-

---

*) Quare equidem etiam cum Fabrio XXIII. 3, 5 repono: „itaque duae res simul agendae vobis sunt" pro altera scriptura: „agendae sunt vobis."

**) Ita Livius saepe numero scribit partic. verbi *nancisci*; cf. 24. 31, 14; 23. 2, 2; 27. 28, init.; 25. 30, init.; 28. 31, init. Restituenda est ea forma: 22. 44, 4; 24. 36, 1 saepius.

pla, e quibus afferam: XXIII. 7, 2: cum quibus equitum Campanorum — permutatio fieret.

In dubiis autem rebus aut optimos codd. aut, hi si te deserunt, consuetudinem scriptoris sequaris.

Jam pervenimus ad locos quosdam, qui omnes eodem modo sanari et possunt et mea sententia debent quique propterea nondum recte sunt constituti quod consuetudo quaedam Liviana nondum satis observata est.

Affirmo enim ablativum, quem vocant, absolutum a Livio non numquam omisso subiecto positum inveniri, ita ut subiectum ex rerum nexu suppleri debeat.

Quamvis hodie omnibus viris doctis ablativum absolutum notum sit a Latinis collocari hic illic omisso subiecto, tamen in non nullis tantum et iis certis id fieri concedunt constructionibus, velut: *dimissis qui aderant*, aliis et similibus. Livium equidem liberiorem hac in re fuisse dico et ablativum absolutum etiam ibi posuisse affirmo, ubi alius scriptor ablativi absol. subiectum non omiserit aut ubi sequente verbo dativum adsciscente dativum posuerit. Hac de re iam paucis loquar.

Ac primum quidem verba faciamus de Liv. libr. XXV. 41. §. 2., ubi, quamvis vulgo legatur: *instruenti exercitum decem effusis equis advolant ex hostium acie Numidae, nunciantes populares suos — quieturos in pugna*, tamen equidem velim scribatur: *instruente exercitum* cet.

Editiones principes habent Drakenb. teste *instruentem exercitum*, eas autem sequentes edd. inde ab Ascens. a. 1513: *ad instruentem exercitum*. J. Fr. Gronov. veram scripturam esse existimavit *instruenti exercitum*, quam posteri servarunt et etiamnunc praebent Drakenb. Bekker. Kreyss. Sed mea sententia parum recte.

Nam Gebhardo teste Pall. tres habent *instruente exercitum*; eius vet. edit. nescio habeatne *instruentem* an *instruente*, cum Gebhardus tantum dicat: „vet. ed. quo-

que *ad* exclusit." Sed magis inclinat animus ut *instruentem* eam legere existimem quam *instruente*.

J. Fr. Gronov. testatur Put. Pet. Voss. omissa praepositione praebere *instruentis exercitum*, et id ex Drakenb. libris Flor. Lovel. 2. 4. 5. Harl. Berol. m. 2. Gaertn. Hav. Hearnii Oxon. tenent.

His autem non modo plurimis, verum etiam optimis codd. fidem denegare non possumus.

Ablativus autem absolutus bene hic locum habere potest, quippe qui ibi ponatur, ubi sententiae alicui aut interiecta aut alia condicionem, tempus, caussam, alias id genus res significante sententia additur aliquid quod rem in primaria sententia positam aut clarius demonstrat aut certis quibusdam finibus circumscribit, ita tamen ut in sententia primaria aliud sit subiectum atque in sententia adposita.

Nostro autem loco, cum utriusque sententiae diversa sint subiecta, ablativus absol. bene se habet. Quod cum sit, codices autem ablativum praebeant et subiectum facile ex antecedentibus intelligi possit, prorsus nihil obstat quo minus ablat. retineamus et pro ablat. absol. habeamus.

Neque id me impedit quo minus ablativum praeferam, quod verbum sequens dativum adsciscit; saepe enim ablativum absol. ponere Latinos sequente verbo dativum expostulante postea videbimus.

Ac mirum profecto esset, si tot tantorumque codicum librarii omnes eodem modo errassent.

Quamquam non raro *e* et *i* vocales commutantur, tamen ubi *e* in optimis mss. invenitur et explicari potest, non debet in *i* immutari.

Ita, ut simile quid statim adiiciam, libr. XXII. 25, 14 editores putant scribendum esse: „si penes se summa imperii consiliique sit, propediem effecturum, ut sciant

homines *bono imperatori* haud magni fortunam momenti esse," ubi procul dubio scribendum est: *bono imperatore*, quod exhibent Flor. Voss. Lovel. 1. 5. Harl. Hearnii Nm. 2. — Hearnii Nm. 1. habet *in bono imperatore;* sed *in* praepositio codicis librarium legisse demonstrat ablativum. Cum tamen ablat. solum haud ferri posse arbitraretur, *in* praepos. addidit; postea tamen videmus alterum librarium restituisse veterem scripturam.

Hoc ipso loco Drakenborchius, quamquam ablativum pro dativo ferri posse non negat, tamen ne dativum quidem falsum iudicans nihil mutat in scriptoris verbis.

Neque ego rectum esse dativum nego, sed ablativum ex codicum auctoritate scribendum existimo.

Et est sensus ratione habita quod ablativ. commendet. Dativo enim posito, mea quidem sententia, res ad unum tantum imperatorem singulis rebus praepositum, ablativo absoluto ad omnes omnino imperatores refertur. Finibus igitur quibusdam res dativo circumscribitur, ablativo fit multo generalior.

Hic vero, ubi generalem quamdam dictator profert sententiam, constructione etiam uti debet qua id ipsum significat. Itaque quamvis ea quae dicit ad se referat, tamen ita profert ut de se solo dicta non videantur, sed in universum de omnibus egregiis imperatoribus, ne odium sibi contrahat propter arrogantiam.

Etiam ita differunt ablat. et dativ., ut dativus fortunam ostendat proxime pertinere ad imperatorem et proprie ad eum referendam esse, (das Glück sei für einen guten Feldherrn von wenig Belang) ablativus autem imperatorem cum fortuna non arcte coniunctum, sed fortunam tantum pone imperatorem collocatam esse significet, (das Glück sei von wenig Belang, wenn ein großer Feldherr sei). Sed haec praetereundo tantum monere volui.

Jam regrediar ad quaestionem de absol. ablat. quem omisso subiecto adhibitum ab Livio esse adfirmo.

Illo igitur loco cum dativus codicibus prorsus non muniatur, accusativus non nisi in edd. pr. insit, *ad* denique praepositio in edd. demum post Ascens. inveniatur, nihil restat nisi ut ablativus servetur.

Quod tamen Gronovius dativum ponendum esse dicit ut pendeat ab participio *nunciantes*, id equidem haud perducor ut verum habeam. Sed ut dativus bene habeat, ab *advolandi* verbo dependeat, cum si non ita sit, constructio valde impedita sit et contorta. Certe si dativus ab nunciandi verbo pendere deberet, scribendum esset: *advolantes — nunciant.* Advolandi autem verbum pariter cum dat. et accus. atque cum *in* et *ad* praeposs. coniungi non est quod moneam, cum in omnibus lexicis reperiatur; et iam sola verborum collocatio ostendit dativum non ab *nunciantes* pendere.

Neque satis intelligo cur ablativi absoluti subiectum omitti nequeat, cum in accus. cum infin. constructione saepe numero non ponatur.

Apud Graecos in simili constructione (genit. absol.) persaepe genitivum subiecti omitti notum est. Cf., ut exemplum afferam, Xenoph. anabas. II. 1, 3: ἤδη δὲ ἐν ὁρμῇ ὄντων, ἅμ' ἡλίῳ ἀνίσχοντι ἦλθε Προκλῆς κ. τ. λ.

Apud Livium permultis locis in accus. c. infin. constructione omissum subiectum est, velut XXII. 25, 14: si penes se summa imperii consiliique sit, propediem effecturum, ut sciant homines; Liv. XXVI. 3, 4: vi aperta, armis, acie victum; nec suorum animos nec hostium in potestate habuisse. XXIII. 6, 7: indignatione orta submoveri a curia iussos esse.

Ablativi absol. subiectum omitti potest ubi ex pronom. relat. statim sequente apparet, qui sit is de quo agatur. Cf. praeter multos locos XXV. 13, 9: „qui cum auditis

quae ad Capuam agerentur" et libr. XXVI. 28, 7: „dimissis qui plurima stipendia haberent."

Cum tamen hac in re subiectum suppleri possit, quippe quod facile ex rerum nexu intelligatur, non video quidni in tali quoque constructione, qualis ea est, quae totam meam disquisitionem movit, idem esse possit.

Subiectum omitti posse etiam Reisigius schol. gramm. lat. §. 431. concedit; arctioribus autem finibus rem eum circumscripsisse iam Haasius adnot. 590. 9. fin. observavit. Reisig. duo adtulit subiecti omissi exempla: Liv. XXXI. 46, 13: „Attalus quoque Aegeleon, nihil minus quam tale quidquam in alterius oppugnatione urbis timentibus (scil. incolis), oppressit" et Cic. ad famil. XV. 4, 8: „Eranam autem, quae fuit non vici instar, sed urbis, itemque Sepyram et Commorim acriter et diu repugnantibus — cepimus."

Sed transgrediamur ad alterum locum, ubi ablativum participii omisso subiecto ponendum esse statuo.

Liv. libr. XXV. 9, 13. a Drakenborchio ita scriptum est: „nota vox eius et familiare iam signum quum excitasset vigilem, dicentis, vix sustinere grandis bestiae onus, portula aperitur." Bekkerus tamen et Kreyss. cum alia ita habeant ut Drakenborchius, pro genitivo *dicentis* dativum *dicenti* ponunt, quem casum ne Drakenborchius quidem spernere velit (*dicenti* ..... quod non videtur spernendum).

Utrumque etsi recte habet, mea tamen sententia ex codicum auctoritate legendum est: *dicente*, quod praebetur optimo Florentino, Lovel. 2. 4. Hav. Voss. m. 1. — Voss. m. 2. et Lovel. 1. habent *dicenti*. Aperte falsum et ex prava loci interpretatione ortum est quod habet Gaertn. *dicentem*, neque melior est Lovel. 5. scriptura *dicens*.

Quamquam quae omnium optimi codicis Puteanei sit scriptura non constat, tamen neque dativum nec nominativum neque genitivum a Livio profectum puto.

Genitivum editores unde sumpserint nescio equidem, sed natum eum esse existimo ex coniectura.

Dativum *dicenti* ad *aperitur* relatum nullo pacto reiicerem, si in pluribus eum et melioribus invenirem codicibus. Jam vero puto verbum *aperitur* caussam esse, propter quam ablativus in dativum mutatus sit.

Ablativum autem aut a Livio ipso scriptum aut a librariis perperam positum esse necesse est. Sed cum omnes illos librarios erroris incusare iniustum sit, nihil reliquum est nisi ut ablativum retineamus habeamusque pro absol. abl., cuius omissum subiectum sit.

Neque desunt duo eaque diversa subiecta. Alterum enim eorum est *vox*, alterum pronomen quod ad participium *dicente* suppleri debet. Et quamquam verbis *vox eius* et *dicente* unus idemque homo significatur, tamen si grammaticam, uti decet, rationem, non solam logicam respicis, diversa sunt subiecta.

Patrio sermone utens dicam: da die bekannte Stimme desselben und das schon gewöhnliche Zeichen die Wache aufgeregt hatte, so wird, als er sagt, daß er die Last des gewaltigen Thiers kaum zu tragen vermöge, das Pförtchen geöffnet.

Saepe autem apud Livium, quod verborum positionem attinet, sententiae per *cum* coniunctionem inductae ablativus adiungitur, quem vocant, absolutus, cuius rei tria iam exempla in promptu habeo: XXV. 37, 17: ob hoc cum omnia neglecta apud hostes essent, exploratis iis, Marcius cet. Liv. XXV. 13, 9: qui cum auditis, quae ad Capuam agerentur cet. ibid. 14, 6: iamque intra vallum Peligni pugnabant, cum altera parte, Valerio Flacco, tri-

buno militum tertiae legionis exprobrante Romanis ignaviam cet. *)

Quem ad modum et librarii et viri docti ablativum in dativum mutabant, quia omisso subiecto ablativum absol. poni posse negabant et dativum sequenti verbo adiunctum ponendum esse rebantur, ita apud Liv. libr. XXIII. 10, 9, optimis et plurimis codicibus *haec vociferante* praebentibus, ex J. Fr. Gronovii coniectura omnes recentiores editores scribebant: *haec vociferanti.* Habebant autem ante Gronovium editiones: *haec eo vociferante.*

Gronovii manu scripti carent, ut ipse dicit, medio pronomine praebentque *haec vociferante;* neque aliter legunt Drakenborchii libri. Dativum, quem Gronovius ex coniectura posuit, exhibent Hearnii libri et ex Drakenb. mss. Berol.

Sed hi libri profecto non tantam habent auctoritatem ut plurimos et eos optimos falsam scripturam exhibere demonstrent.

Fabrius quamvis in Livii verbis habeat dativum, tamen eum fortasse reiiciendum et ablativum cum codd. optt. substituendum esse censet; et recte.

Similiter XXIII. 12, 1. Fabrius participium *metientibus* pro ablativo haberi posse putat; ait autem: „*metientibus* videtur dativus esse. V. Zumpt. §. 405. Schulz. p. 404. Weiss. §. 305. Potest tamen et pro ablativo absol. accipi, cuius omissum subiectum est, quam dicendi rationem a Livii consuetudine alienam non esse apparet ex iis quae dicta sunt ad c. 10. §. 9. et XXI. 43, 4." Equidem, ut hoc adscribam, h. l. *metientibus* potius dativum habeam quam ablativum; multo enim simplicius et rei

*) Quod in duobus horum expl. verbum finitum ad *cum* pertinens post ablativum demum absolutum positum est, id rem ipsam non mutat.

naturae convenientius est dativum hic ponere quam ablativum.

Ad XXIII. 10, 9: Fabrius dicit: „ scribendum fortasse *haec vociferante*, nam ita optimi codices. Et omittitur non numquam in ablat. absol. subiectum, ut ostendimus ad XXII. 31, 6."

Locum, ad quem ablegavit Fabrius lectores, apud ipsum ego Fabrium inspicere non potui, ad manum cum haec scribens non haberem eius librorum XXI. et XXII. editionem. Quod tamen rem ipsam attinet, puto virum doctissimum *traditaque* habere pro ablat. absol., quod mutata interpungendi ratione mihi quoque probatur.

Libr. XXI. 43, 4. cum iis ego facio, qui Gronovii scripturam *habentes* reiicientes *habentibus* ablativum absol. putant esse.

Raschigius apud Bekker. h. l. non certus videtur esse quid verum iudicet, cum sententiam adferat Douiatii, qui *habentibus* aut pro ablat. absol. accipiendum aut ad superius *vobis* referendum esse censet.

Strothius dativum ducit *habentibus* ad pronomen *vobis* referendum; id quod non crediderim.

In superioribus editores ablativum a codd. praebitum in dativum mutarunt et propter caussam quam saepius adtuli et propterea quod verbum secutum est quod dativum expostulavit; at non ubique, ubi in sequentibus verbum positum est quod dativum iuxta se habet, in antecedentibus dativus scriptus est, sed saepius etiam ablativus absolutus. Quare ad verbum dativum expostulans pronomen aliudve vocabulum suppleri debet. Cf. Liv. XXV. 11, 12: „ Hannibal convocatis principibus Tarentinis omnes praesentes difficultates exposuit." Hic enim neminem fore confido, qui *convocatis* pro dativo habeat; certe Drakenb. et Kreyss. interpunctione, qua usi sunt,

pro abl. absol. verba *convocatis — Tarentinis* habenda esse ostenderunt. Idem Bekkerum sensisse opinari tantum possum, propterea quod (et id quidem bene a Bekkero factum est) nullum interpungendi signum posuit inde a nomine *Hannibal* ad verbum usque *exposuit*.

Dubium quoque esset, si quis ubique ad verbum dativum ad se habens dativum poni debere putaret, positus utrum dativus an ablativus absol. esset apud Liv. libr. XXV. 14, 12: „itaque, convocatis tribunis militum consul absistendum temerario incepto ait;" et tamen ablat. absol. esse cuique planum erit.

Libr. XXV. 16, 1. vulgata scriptura est: Graccho, priusquam ex Lucanis moveret, *sacrificanti*, triste prodigium factum est. Codd. omnes praebent *sacrificanti*, unus tantum Florent. *sacrificante*. Quid verum est? Decernere rem haud facile possis; sed si sensum sequi liceat, equidem ablativum praeferam.

Multis aliis quoque locis praeter eos quos attuli, dubius haerere posses ablativus an dativus sit positus; neque dubito quin apud Livium multi adhuc sint loci, qui, quo modo iam non nullos in pristinam integritatem restituere temptavi, eo veram formam accipere poterunt.

Hic iam mihi sufficit ostendisse nondum facta omnia esse, sed codicum bonorum scripturas esse adhuc multas restituendas.

Libr. XXV. 12. §. 9. 10. Quamquam plura sunt in hoc carmine quae mihi displicent, tamen iam de duabus tantum vocibus verba facere constitui. Scribunt autem recentiores omnes ita: „*hostem*, Romani, si expellere vultis vomicamque quae gentium venit longe, Apollini vovendos censeo ludos, qui quotannis comiter Apollini fiant; cum populus dederit ex publico partem, privati uti conferant pro se suisque; iis ludis faciendis praeerit praetor is qui ius populo plebeique dabit summum. Decemviri graeco

ritu hostiis sacra faciant. *Haec* si recte faxitis, gaudebitis semper fietque res vestra melior."

Mea sententia pro *hostem* in carminis principio *hostes* et pro *haec si recte* legendum est *hoc si recte*. Totum hoc carmen a Macrobio Satura. I. 17. relatum est, ex quo Livii editores nostrum locum, ubi emendatione egere visus est, emendaverunt.

Macrobii autem (ed. Bipont. a. 1788) verba haec sunt: „*hostem*, Romani, si — venit longe, Apollini censeo vovendos ludos, qui quotannis communiter fiant. his ludis faciendis praeerit is praetor qui ius populo plebique dabit summum; decemviri — faciant. *Hoc* si recte facietis — fietque res publica melior."

Jam quamvis ex aliis scriptoribus saepe numero lucem adferri posse aliis non negem, praesertim cum non tantum eaedem res à diversis scriptoribus narrentur, sed etiam in rebus narrandis eadem fere verba adhibeantur, tamen nusquam ita agendum esse existimo, ut scriptor qui modo tractatur prae alio, ex cuius verbis aliquid utilitatis capi possit, negligatur, utque igitur in re critica alterius scriptoris libri mss. codicibus ad scriptorem qui modo tractatur pertinentibus praeferantur. Sed primum nostri scriptoris codices inspicere et accurate respicere debemus; tum vero, ubi eos non satis bonam scripturam praebere videmus, alterius scriptoris libros mss. respicere et possumus et debemus.

Livii autem, ut ad rem adgrediar, editores statim in huius carminis principio ex Macrobii praecipue verbis scripturam *hostem* probarunt, quam equidem ferre nequeo; haud dubie enim *hostes* legendum est.

Habent autem Drakenborchio teste ex Livianis codd. *hostis* (acc. plur.) vel *hostes* Flor. Cantabr. Lovel. 1. 2. 4. 5. Harl. Berol. Gaertn. Hav. Exc. Pithoei, Hearnii

Oxonn., edd. vett. *Hostem* Drakenborchius primum apud Sigonium repperit.

His autem codicibus tot tantisque cur non credamus adsequi non possum.

Macrobii scriptura *hostem* nullo pacto ut apud Livium singularem exhibeamus numerum movere nos potest, cum apud illum alia quoque aliter sint comparata atque apud Livium, quae tamen ne ii quidem Livio restituerunt qui *hostem* scripserunt.

Neque velim quisquam dicat *hostem* propterea esse legendum quod Poeni significentur; unum autem populum *hostem*, non *hostes* esse. Hanc enim caussam pro nihilo ducendam esse statim apparet. Primum enim cur Poeni non *hostes* dici possint non intelligitur, cum totus Carthaginensium populus multos homines complectatur. Hi autem sunt hostes. Deinde cum Poeni non nominatim adferantur, sed tantum significentur, facilius et, ut mihi quidem videtur, rectius pluralis usurpatur ut res quodam modo ut dubia proponatur. Denique cum homines, qui hic significantur, §. 10. *perduelles* dicantur, apparet eos etiam hic *hostes* posse appellari.

Apud Macrobium, ut haec obiter moneam, paullo post *communiter* scriptum est pro *comiter*, quod Drakenb. teste etiam edd. Rom. a. 1472 et Parm. habent, quodque secundum Sigonium vet. lib. praebet. Praeter Hearnii L. 1., qui *communes* habet, omnes *comiter* exhibent.

Quamquam verum est, quod Drakenb. exemplis ad h. l. adlatis illustravit, *communiter* et *comiter* saepe confundi, tamen, ubi optimi et plurimi *comiter* habent, *comiter*, modo quadret in sensum, scribendum est.

Sigonius etsi *communiter* dicit significare *sumptibus populi et privatorum*, tamen equidem non credo. Significat enim id quod nos patrio sermone utentes dicimus: alles zusammen (Liv. communiter omnia complectar), insgemein

(Cic. admirantur igitur communiter illi quidem omnia), gemeinschaftlich (Liv. tres populi communiter bellum parant), sed nusquam: *sumptibus populi et privatorum*.

Cum Graevio autem ad Cicer. orat. pro Balbo XVI. et pro Muren. XXXI. *comiter* existimo significare *secunda omnium voluntate*, *libenter*. Ita lib. I. 22: „comiter regis convivium celebrant." Quamquam prima vocis significatio est: freundlich, liebreich, tamen cum ea significatio non apta nostro sit loco, ubi de ludis deo cuidam celebrandis agitur, accipiatur ita ut vernaculum „gern" significet.

His peractis iam cur *hoc si recte faxitis* legam, non *haec si* cet. exponam.

Hoc autem praebent Flor. Voss. Lovel. 4. 5. Harl. Hav. Hearnii L. 1. Possit aliquis dicere plures esse res quas ut faciant Romani incitentur. Jubentur enim ludos Apollini vovere, eos ludos quotannis comiter facere et ita quidem, ut publice et ex privato sumptus solvantur, iubentur praetorem iis ludis praeponere et operam dare per decemviros ut sacra fiant graeco ritu hostiis.

Sed quamquam haec caussa non inepta est, tamen equidem singularem cum optimo aliisque libris praefero. Etenim pronomine *hoc* non singularum rerum, quae antea singulatim allatae sunt, ratio habetur, sed tantum eius quod imperatum est; dicitur id quod Romani facere debeant, si hostes pellere velint; id autem etsi pluribus continetur partibus, tamen *unum* tantum *totum* est i. e. id quo hostes vincantur. *Hoc* igitur quasi nomen collectivum ponitur, quod neque abhorrere iudico ab Latinorum in universum neque ab Livii dicendi genere.

Ad has duas caussas, quibus *hoc* tueor, accedit quod Macrobius quoque *hoc* exhibet. Hic enim, ubi Macrobii scriptura cum optimorum Livii codicum scriptura consentit, eius testimonium reiicere non licet.

Liv. XXV. 30. §. 11. ab vulgata scriptura paullulum discedo et pro vulgata: *neque ullis minus praesidii aut pertinaciae ad manendum quam transfugis fuit*, exhibeo: *neque ullis — quam in transfugis fuit.*

Ita enim habent Flor. Voss. Lovel. 1. 2. 4. 5. Harl. Berol. m. 2. Gaertn. Quamvis Drakenborchio teste non modo hic, verum etiam ante vocabulum *ullis* Hav. cod. habeat *in* praepositionem, tamen propter unum hunc codicem ante *ullis* non audeo *in* recipere. Sed cum Florent. et multis aliis codd. ante substantivum *transfugis* ponendum esse *in* pro certo affirmo. Possit forsitan alicui mira videri haec structurae variatio; Livium tamen mihi eiusque dicendi rationem cognoscenti notum est solere eum variare constructionem.

Ex multis, quae Drakenborchius ad librum XXXVIII. 39, 10. attulit huius variationis exemplis sufficiat citasse Liv. libr. V. 1, 7: pro seditionis eum principe, non vani sermonis auctorem habebat. XLV. 34, 5: tantaque praeda fuit ut in equitem quadringeni denarii, peditibus duceni dividerentur. XXXVI. 3, 9: feciales responderunt — nihil referre, ipsi coram an ad praesidium nunciaretur. XXXVIII. 20, 4: animadvertit meridiana regione terrenos et placide adclives ad quemdam finem colles esse, ad septentrionem ardua et rectas prope rupes. *)

Quem ad modum saepe apud Livium altera sententiae parte *per* praepos. cum accusat., altera ablativus solus sine praepos. positus est ad id significandum quo quid efficitur, **) ita apud Tacitum eadem res saepe locum ha-

*) Ita enim cum Bekkero legendum est; Drakenborch. habet *adclivos* et *arduas*; formam autem in *es* praebent praeter optimum Bamberg., tres Pall. Lovel. 2. 3. 4. alii, et *ardua* Bamberg. tuetur. Cf. Reisig. schol. §. 105. cum Haasii adnott.

**) Cf. XXXIX. 8, 8: multa dolo, pleraque per vim audebantur.

bet. cf. Ann. I. 7.: dabat et famae ut vocatus electusque potius a re publica videretur, quam per uxorium ambitum et senili adoptione inrepsisse. II. 70.: Ea Germanico haud minus ira quam per metum accepta. V. 1.: nobilitatis per Claudiam familiam et adoptione Liviorum Juliorumque clarissimae. XIV. 1.: crebris criminationibus aliquando per facetias incusare principem.

His et aliis exemplis satis demonstrasse mihi videor et Livium et alios scriptores orationem variare in deliciis habere et ad idem verbum in eadem sententia duas et eas diversas ponere constructiones.

Quorum exemplorum quamquam nullum ita comparatum erat prorsus ut nostro loco responderet, tamen iure colligere me posse arbitror non contra Livii aliorumque scriptorum consuetudinem esse, ad *esse* verbum altera sententiae parte dativum, altera ablativum ab *in* praepositione pendentem collocare.

Sententia eadem manet sive ablativum cum *in* praepos., sive dativum solum ponis, et cogitandi tantum ratio paullo diversa est.

Quod Hav. praebet *in ullis* et in *transfugis*, id ostendit librarium *in transfugis* legisse et ad structurae aequabilitatem efficiendam ante *ullis* praepositionem *in* addidisse. Alioquin enim quo modo scribere potuerit *in ullis* non intelligo, cum omnes alios hic codices incusare erroris iniustum sit. Uti autem in Hav. *in* praepos. intrusa est, ita ante *transfugis* facile omitti potuit sive *in* praepos. per *m* ultimam antecedentis vocis litteram intercepta est, quod saepe factum esse constat, sive scriptum fuit *quā in*, unde *quam* facile potuit oriri. Saepe enim illam lineolam transversam evanuisse quem fugit?

Priusquam tamen ad alia pergam non nulla adhuc adiiciam exempla, quibus quam lubenter Livius orationem variaverit demonstrem. cf. Liv. XXVII. 1, 6: ea omnia

ab Herdonia per occultos nuncios delata Hannibali simul curam sociae retinendae urbis et spem fecere incautum hostem adgrediendi. XXIII. 24, 12: Purgato inde capite, ut mos iis est, calvam auro caelavere idque sacrum vas iis erat, quo solemnibus libarent poculumque idem sacerdoti esse ac templi antistitibus." *)

Fortasse etiam, ut hoc praetereundo moneam, XXV. 29, 9. legendum est: „quosque fors obtulit irati interficere atque omnia quae in promptu erant diripuerunt," quod est in Putean. Petav. Flor. m. 1. In edd. inest: *interfecere — diripuerunt.* Infinitivum h. l. historicum ad furorem indicandum aptissimum esse quis neget? Furor autem cum maxime in hominibus caedendis cerneretur, non aeque in rebus diripiendis, priore tantum loco a Livio infin. histor., posteriore verbum finitum est positum.

Ceterum hic locus me monet ut nullam dicam apud Livium discrepantiam significationis intercedere inter tert. plur. perf. in — *ere* et in — *erunt*, quae apud Tacit. ubique fere cernitur. cf. Reisig. schol. gramm. lat. §. 143. ibique Haasii adnot. 269. Saepe enim ambae formae nullo intercedente discrimine iunguntur, ut. XXI. 25, 12: „octingentos milites occiderunt, sex signa ademere."

Digna etiam quae memoretur constructionis variatio est, qua collectivo in priore membro verbum singulare, in altero plurale iungit. cf. III. 27, 5: sic iuventus discurrit ad vallum petendum; sumpsere unde cuique pro-

*) Ita enim legendum sine dubio est. Fabrius adnotat: *esse* quod iam Freinshemius deletum voluit, Bekkerus nuper induxit. Sed abest ab uno tantum non magnae auctoritatis codice. (Harl.). Et conf. supra ad XXII 47, 6 ubi singulos infinitivos historicos aliis modis non raro interponi ostendimus.

ximum fuit. ibid. 29, 8: plebes vicit, ut quintum eosdem tribunos crearent. XXVI. 21, 16: super haec exercitus Romanus iratus, partim quod cum imperatore non devectus ex provincia esset, partim quod in oppidis hibernare vetiti erant, segni fungebantur militia." Et sic saepius: Ita tamen qui variat orationem, quidni scribat: *neque ullis quam in transfugis*?

Libr. XXV. 23, 3. vulgata scriptura est: „quamquam nec vi capi videbat (Marcellus) posse inexpugnabilem terrestri ac maritimo situ urbem *nec fame*, *quam* prope liberi ab Carthagine commeatus alerent." Mea autem sententia scribi debet: *nec fame umquam*, *quam prope* cet.

J. Fr. Gronovius dicit duos optimos habere *nec fame umquam prope*, scribendumque esse affirmat: *nec fame ut quam prope*, addens: „valet *utpote*." Ex Drakb. libris exhibet Flor. idem quod Gronovii duo optimi, sed praebet m. 2. *nec fame cum eam prope*. Lovel. 2. habet: *qm* (i. e. quoniam) *prope liberi*.

Drakenborchius non improbabilem esse censet Gronovii coniecturam. Neque equidem perbonum esse illud *ut* sequente pronomine relativo negarim, quippe quod ponatur, ubi eius rei ad quam adponitur caussa debet afferri. cf. Liv. XXIX. 1, 22: trepida omnia ut inconditam turbam tironum esse. III. 36, 7: hominum, non caussarum toti erant, ut apud quos gratia vim aequi haberet. cf. Zumpt. gram. lat. §. 565.

Sed quamvis per se bona et pulcra sit haec Gronovii scriptura, tamen non facile intelligitur quo modo pro *ut quam* scribi potuerit *umquam*.

Facilius intelligitur *quam* pronomen post *umquam* propter syllabam eius finalem omitti potuisse, cum hic error non ita raro in codicibus inveniatur. cf. XXV. 12, 9. ubi pro verbis *vomicamque quae gentium* in Florent. Voss. Lovel. 4. Harl. Rec. scriptum est: *vomica quae gentium*,

sine dubio quod *quae* antecedentem *que* copulam intercepit et *vomicam* per compendium *vomicā* exaratum fuit. Similis est error Liv. XXX. 28, 6. ubi Alschefskio ad Liv. V. 10. teste Put. Colb. Bamb. *muralibusque* habent pro *muralibus valleribusque;* quare V. 10. Alschefskius, si quis verba: „haec per se gravia indignioraque" pro verbis: „haec per se gravia, indigniora etiam" ferre nequeat, legendum iudicat: „haec per se gravia graviora indignioraque."

Et saepe numero in codd. locos invenies, ubi antecedente littera syllabave sequentem litteram syllabamve interceptam esse clarum est. cf. XXIX. 34, 15. ubi „*fuerant ut quibus* vera scriptura est; sed Florent. Voss. Lovel. 1. 2. 3. 5. Berol. Hav. *ut* omittunt propter similes litteras finales verbi *fuerant.*

Faciamus igitur etiam nostro loco *quam* pronomen antecedentis vocis *umquam* syllaba finali interceptam esse et optimam scripturam simulque optimorum codicum iustam rationem habeamus.

Ex eo autem quod post *umquam* pronomen *quam* omissum est, aliorum codicum mendum est ortum, qui *nec fame quam* exhibent. Cum enim librarii *umquam* viderent neque id satis rectum esse intelligerent quod ad *alerent* obiectum deesset, scribebant *um* syllaba omissa *quam*. *Umquam* autem, quod ad sensum adtinet, aptum esse nemo primo statim obtutu non intelliget. Videt enim Marcellus Syracusas neque vi neque fame umquam capi posse; et cum verbis: „*terrestri* — *situ*" caussa afferatur, cur urbs vi capi nequeat, iam verbis *quam* — *alerent* explicatur, cur ne fame quidem umquam expugnari possit.

Quamquam non pro certo dicere possum, neque argumentis, quae nullo modo infringi queant, demonstrare rem ita se habere, tamen non dubito quin vera sit scri-

ptura mea, cum eodem modo etiam aliis locis medicina adferatur.

Possit fortasse alicui in mentem venire legendum esse: *nec fame umquam*, *cum prope* cet., ita ut scriptum fuisse arbitretur: *umquā cū*, unde facile fieri potuerit *umquam*. Sed mea emendandi ratio magis placet, quamquam in altera coniectura obiectum *eam* ad *alerent* omissum non offendere potest eum qui Livium vel obiter cognoverit. Ita autem sec. man. cod. Flor. locum sanare voluisse apertum est.

Liv. XXV. 34. §. 2. vulgo legitur: „*Masinissa erat iuvenis*, *eo tempore socius Carthaginiensium*, *quem deinde clarum potentemque Romana fecit amicitia.*" Ante J. Fr. Gronov. legebatur: *Masinissa erat iuvenis*, *qui eo tempore erat socius* cet.

J. Fr. Gronovio teste Putean. et Petav. melior *qui* pronomen non habent. Inde Gronov. suspicatur: et verbum alterum *erat*, immo et *quem* quod sequatur a mala manu esse, scribendum vero: „Masinissa erat iuvenis, eo tempore socius Carthaginiensium; dein clarum potentemque Romana fecit amicitia." Drakenborchius ubi adfirmavit *qui* pronomen abesse a Florent., adiicit se ideo non dissentire a Gronovio et *qui* et *erat* omittente." Sed *quem* pronomen, quod idem Gronovius ferre non potest, Drakenb. retinet idque quidem iure optimo. Nam prorsus ex arbitrio omittitur, cum iusta omittendi caussa non cernatur, neque ab libris manu scriptis abesse videatur. *Quem* melius etiam retinetur ut sententiae ad sese pertinentes: *Masinissa erat iuvenis* atque *clarum fecit amicitia Romana* iungantur, neve quae de uno eodemque homine eadem mente dicantur in duas non cohaerentes sententias disiungantur. Quas modo attuli scripturarum discrepantias, eas solas novi. In plerisque aliis codd. scriptum videtur esse: „qui eo tempore erat socius," quod ea et vetus scriptura

fuit et quod ab optimis libris *qui* pronomen abesse dictum est.

Equidem, uti par est, optimos codices sequor ideoque *qui* omitto, quod ab librariis, qui quo sequens *erat* esset referendum non viderunt, in codd. facile potuit intrudi. *Erat* autem non audeo reiicere, cum in omnibus inesse videatur codd., certe in optimis insit.

At cum oratio non bene procederet, si *qui* pronomine omisso *erat* retineretur nec alia in scriptoris verbis mutatio fieret, optimum duxi verba: *eo tempore erat socius Carthaginiensium* retinere, sed uncinis includere; quo facto bene habent omnia et codicum iusta habetur ratio. Scribam igitur ita: „Masinissa erat iuvenis, (eo tempore erat s. Carth.) quem deinde clarum" cet.

Cum sententia uncis inclusa extra verborum seriem sit posita, *erat* verbum bis positum neminem potest offendere, praesertim cum ne alii quidem loci desint, qui omnem paene de hac re scrupulum eximere possint dubitanti. Quamquam prorsus similem locum iam non habeo, tamen ad id quod volo demonstrandum sufficient ii quos adferam. Liv. XXIII. 31, 4.: quae ibi legiones essent (erant autem Cannensis maxime exercitus) cet. XXVII. 3, 1.: Capuae interim Flaccus, dum bonis principum vendendis agro, qui publicatus fuerat locando, (locavit autem omnem frumento) tempus terit.

Simile exemplum est: Liv. XXV. 20, 3.: ad Vulturni ostium, ubi nunc urbs est, castellum communitum (ante Fabius Maximus munierat). Neque displicere Latinis eiusdem verbi repetitionem diligenter legens saepe invenies.

Sententiam loci accuratius si inspexerimus, bene habere parenthesin videbimus. Livius enim dicere cum velit unde novum P. Scipionem urgeat periculum, Masinissam ait, quem postea Romana amicitia clarum fecerit, illud esse periculum.

Verba: *Masinissa erat iuvenis*, *quem deinde clarum* cet. primariam efficiunt sententiam, quippe qua Livius praecipue ostendat qui fuerit Masinissa. Hac enim amicitia Romana postea clarus notusque est factus, non eo quod aliquando Carthaginiensium socius fuit. Quam primariam sententiam in verborum serie scriptor posuit, aliam autem, quam scitu dignam non potuit omittere, ita adiecit ut minoris eam esse momenti appareret i. e. in parenthesi positam.

Qui pronomen, quod non legitur in Put. Pet. meliore, Flor., facile poterat ab librariis addi, quod, cum parenthesis nescio quo casu evanuisset, quo *erat* referrent ignorabant.

Relicuum est ut adiiciam me non intelligere, cur Gronovius *dein* praeferat formae *deinde*, quam omnes codices videntur habere. Certe a Drakenb. nulla varians scriptura affertur et tamen in Livii verbis *deinde* ponitur.

Quem ad modum h. l. verba: *Masinissa erat iuvenis* adpositionem quasi continent eorum, quae ante dicta sunt: *par terror — periculum maius urgebat*, ita similem habes adpositionem: XXV. 16, 4. 5.: nulla tamen providentia fatum imminens moveri potuit. Flavius Lucanus fuit, caput partis eius Lucanorum cet. *)

Livium sententias per parenthesin additas ita instituere solere ut eam, quam equidem hoc loco esse statuo, demonstrare permultis possim exemplis; at pauca attulisse sufficiat: cf. XXIV. 7, 2.: „nam cum praemissis Hippo-

*) Aliae id genus adpositiones sunt: libr. IX. 42, 4. creatus consul, cum collegae novum bellum, Sallentini hostes, decernerentur, Romae mansit. XXVI. 5, 11: maior vis ab altera parte Fulvium, Hannibal et Poeni, urgebant. XXXVIII, 16. Galli, magna hominum vis — Brenno duce in Dardanos pervenerunt. cf. J. Fr. Gronov. ad Liv. XXII. 41, 7. et Drakenb. ad XXXVIII. 16, 1.

crate atque Epicyde cum binis milibus armatorum ad temptandas urbes, quae praesidiis tenebantur Romanis, et ipse in Leontinos cum cetero omni exercitu (erant autem ad XV. milia peditum equitumque) profectus esset." ibid. §. 4.: uni ex eis (Diomeni fuit nomen); XXVIII. 10, 11. alteri, quem Q. Claudius propraetor (eae binae legiones erant). XXVII. 1, 2.: praeda (et aliquantum eius fuit) militi concessa. XXVII. 11, 14.: illis omnibus (et multi erant) adempti equi.

Libr. XXV. 37, §. 5. vulgata scriptura est: *cum ducem exercituum comitiis militaribus creari placuisset.* Ego autem scribendum dico *cum ducem exercitus* cet.

Codicum scripturae mihi notae sunt hae: Gaertn. *ducem exercitum*, Flor. et Recan. *ducem exercitus.* Ceteri codices mihi exhibere videntur omnes *exercituum.* Sed scripturam *exercituum* falsam esse iam demonstrabo.

Cum paullo ante (§. 4.) L. Marcius ex fuga conlectis militibus et quibusdam de praesidiis deductis *haud contemnendum* fecisse *exercitum* iunxisseque cum T. Fonteio dicatur, unusquisque *unum* tantum fuisse intelligit exercitum et Marcium tantummodo *exercitus* non *exercituum* ducem creari potuisse. Drakenborchius propterea retinet *exercituum* quod Livius, cum in huius capitis initio *cum deletus exercitus*, cap. autem 36. §. 15.: *et exercitus amissi* dicat, nullo discrimine facto nunc pluralem nunc singularem adhibere videatur numerum. At res aliter se habet.

Nam quod scriptor cap. 36, 15. exercitus ait amissos esse, id verissimum est. Copiae enim Romanae unum quidem ab initio exercitum efficientes in tres divisae partes *) tres vel certe duo exercitus **) fuerunt. Ipse

*) Cf. cap. 32. 1—8.

**) Exercitus Cn. Cornelii Scipionis et exercitus P. Cornelii.

Livius ostendit unum tantum fuisse exercitum, dicens cap. 32. §. 7.: „duas exercitus partes, Romanorum sociorumque, P. Cornelium duxisse, tertiam veteris exercitus partem Celtiberis adiunctis habuisse Cn. Cornelium." Sed cum de partibus Livius verba faciat, unum totum sit necesse est, cuius sint partes. Totum autem illud est exercitus Romanus. Ex hoc vero uno in tres partes diviso exercitu duo quodam modo vel tres facti sunt exercitus*), ac facile Livius 36, 15. exercitus amissos dicere potuit apud cives doloris partem traxisse.

Livius ipse cap. 32. §. 9. duos exercitus significare videtur verbis: „una profecti ambo duces exercitusque," quamquam *exercitus* etiam singularis esse possit; mihi tamen pluralis videtur esse. Sed cap. 37. §. 16. Livius de duobus exercitibus loquitur his verbis: „nam etsi propinquus hostis erat, tamen reliquias eum esse duorum exercituum ante paucos dies deletorum subcurrebat; et cap. 38. 4: „et ne tum quidem, ubi quonam modo has reliquias duorum exercituum patriae conservare possim cogitandum est, avertere animum ab assiduo moerore libet."

Et 36, 15. aptum et fere necessarium erat *exercitus amissos* ponere, quod Livius de utriusque ducis morte verba faciens utrumque eorum exercitum duxisse dicere debebat.

Aliter autem res habebat cap. 37. 1, ubi non ex professo, ut ita dicam, de illis exercitus partibus, quas ut integros modo proposuerat exercitus, faciebat verba, sed de omnibus qui militaverant nulla illius divisionis ratione habita. Quare ibi non de exercitibus, sed de exercitu loquitur. Totus enim exercitus pessum ierat i. e. et ea pars quae sub Cn. Cornelio, et ea quae sub P. Cornelio posita erat.

---

*) Tres partes duobus praepositis ducibus.

Videmus igitur non sine ratione Livium cap. 36, 15. pluralem posuisse, sed nec sine caussa cap. 37. 1. singularem. Ubi de omnibus militibus quasi de uno corpore debet sermo esse, ibi singularem ponit, ubi de eius partibus cogitare praestat, ibi pluralem ponit et partes singulas ut singulos exercitus ante oculos collocat.

Quod cum non satis intelligerent codicum Lovel. 2. Hav. Brancal. Latinii et Flor. m. 2. librarii, cap. 37, 1. pro verbis *deletus exercitus* scripserunt *deleti exercitus*, paullo ante Livio dictum esse memores *exercitus amissi.*

Errat igitur Drakenborchius, qui 37. 5. lectorem ad huius capitis §. 1. adnotationem ablegans propter dictionem *exercitus amissi* pluralem putat poni posse ac ferri.

Haec ita cum habeant, etiam nostro loco (37.5.), cum §. 4. scriptum sit: *haud contemnendum exercitum fecerat*, singulari illi numero existimo adaptanda esse quae sequantur ideoque exhibenda: *ducem exercitus*, praesertim cum optimus codex ita praebeat consentiente alio libro ms. Hic enim Livius nullo pacto de duabus exercitus partibus cogitare poterat, cum ipse reliquias utriusque exercitus iunctas esse ostendisset. Nam propterea quod ille non contemnendus exercitus ex diversis partibus compositus est nullo pacto hic poni potest pluralis numerus; prorsus enim aliter rem hic sese habere atque supra nemo non videt.

Huius capitis §. 12, ut ne hoc quidem omittam, ubi Poeni mirati esse dicuntur unde tot hostes tam subito exorti sint prope *deleto* antea *exercitu*, iterum singularis numerus non sine caussa positus ab Livio est. Cum enim meminerint Romanorum omnes deletas esse ab sese copias i. e. totum exercitum, iam tot hostes adesse mirantur.

Et sponte apparet, ubi exercitus partes sint, ibi de exercitibus iure verba fieri posse; ubi tamen non sint

partes diversis ducibus praepositis, ibi ne agi quidem posse de pluribus exercitibus.

Putidum profecto sit nostro loco (§. 5.) de exercitibus verba facere, ubi nullo modo pluralis explicari possit.

Cum equidem ex Flor. et Recan. h. l. *exercitus* praeferam, huius capitis §. 1. possit forsitan aliquis existimare, quod Flor. m. 2. non nullis aliis consentientibus libris exhibeat *deleti exercitus*, singularem *deletus* reiiciendum esse. Cui opinioni non subscribo. Prima enim manus ubique nostro in codice maxime respicienda est, et ea praebet *deletus;* neque alii codices *deleti exercitus* exhibentes contra Flor. m. 1. quidquam valent, praesertim cum caussa adsit gravis, quam iam supra significavi, cur singularis ponatur.

Libr. XXV. 38. §. 15. Drakenborchius et Kreyssigius exhibent: *eo ipso quod difficillimum videtur*, *facillimum erit;* ego contra cum Bekkero faciens scribo: *eo ipso quod difficillimum videtur facilius erit.*

Caussas cur hanc scripturam veram habeam et cur Kreyssigium non potius Bekkerum quam Drakenborchium secutum esse mirer iam accipito.

J. Fr. Gronov. auctore Putean. exhibet: *facilius erat*, quae scriptura verum *facilius erit* esse ostendit. Propter cod. Put. iam Gronovius „scribe, inquit, facilius erit."

Hanc autem ipsam scripturam *facilius erit* habent duo post Putean. optimi codd., Florent. et Cantabr., quibus libris invitis equidem superlativum, qui in aliis omnibus, sed eis peioribus codicibus videtur inesse, comparativo praeferre non audeo.

Praeter hos autem codices tres etiam sensus docet legendum esse: *facilius erit.* Quod Drakenborchius dicit: „menti tamen Marcii, ut milites eo alacriores reddat, magis convenire videtur *facillimum*," id non tantam habet

vim et auctoritatem, quantam optimorum trium codicum consensus et sententia, quam iam expositurus sum.

Paullo ante Marcius verbis: „audeamus quod credi non potest ausuros nos," non leve quidquam esse ostendit quod milites velit suscipiant. Nam si perfacile quod sit ad perficiendum suscipiamus, profecto haud recte dicamus „audeamus," cum audendi verbum significet nos et animi et corporis vires contendere debere, si incepta succedere velimus.

Atque tota quidem quae antecedit oratione Marcius magni aliquid se suscepturum esse ostendit, ad quod perficiendum militum animi adesse debeant, praecipue autem verbis, quae sunt §. 11: „nunc, quia tantum ausi estis sponte vestra, experiri libet quantum audeatis duce vestro auctore; non enim hesterno die, cum signum receptui dedi, sequentibus effuse vobis turbatum hostem, frangere audaciam vestram, sed differre in maiorem gloriam atque opportunitatem volui " cet. His autem verbis iam militum praeparat animos ad id quod dicere habet in animo. Cum vero *audaciam* militum se differre voluisse in maiorem gloriam dicat et antea iam milites ausos esse aliquid significarit, nullo pacto potest dicere: „ eo ipso quod difficillimum videtur, facillimum erit," quippe quod ad facillimam rem agendam neque audacia nec virtute opus sit.

Dicit autem Marcius difficile quidem esse quod milites suscipere debeant, hostibus autem difficillimum videri, qui ab obsessis se atque oppugnatis oppugnari posse minime credant. Eo autem ipso quod hostes difficillimum putent, esse facilius, quoniam non satis cauti sint futuri ac providi.

Neque quisquam, ut *facillimum* verum esse ostendat, Marcium mihi obloqui potest statim post (§. 16.) vigiliarum ordines et stationes iustas esse negare atque (§. 17.)

addere, clamorem in portis auditum et primum impetum castra capturum, quo rem facillimam esse doceat.

Nam primum, si antecedentia respicimus, Marcium *facillimum* dicere non posse iam vidimus; deinde etiam in sequentibus ut difficilis atque ardua res proponitur. cf. §. 18.: scio *audax* videri consilium; sed in rebus *asperis* et *tenui spe* fortissima quaeque consilia tutissima sunt," et §. 23.: „laeti et audiere ab novo duce novum consilium, et *quo audacius* erat, magis placebat."

Quod tamen §. 17. dicit: „clamor in portis auditus et primus impetus castra ceperit" cet., id non ostendit rem facillimam esse, sed tantum significat quid Marcius agendum existimet et quo modo rem in animo sibi fingat futuram.

Facilius legendum esse docet denique etiam §. 19, ubi Marcius „*nunc adgredientibus*, inquit, *spes aliqua est.*" Sed si res facillima est, non spes *aliqua*, sed *maxima* esse debet.

Jam pervenio ad disquisitionem de libr. XXV. 16. §. 2. et 3., quae magnam mihi exhibuit molestiam. Verba longa quaestione ad finem perducta ita exaranda esse dico: *ad exta sacrificio perpetrato angues duo ex occulto adlapsi adedere iecur conspectique repente ex oculis abierunt. id cum haruspicum monitu sacrificium instauraretur atque intentius exta reservarentur, iterum ac tertium tradunt libato iocinere intactos angues abisse.*

Bekkerus in eo tantum a scriptura quam equidem posui discedit, quod *servarentur* pro *reservarentur* et *iocinore* pro *iocinere* scribit.

Jam ne quis dicat me acta fere agere hanc rem iterum tractantem (levia enim esse ea quae aliter exhibeam atque Bekker.), neque Bekkerum neque Raschigium quidquam moneo de hoc loco dixisse, quem aliter Drakenborchius scripserit, aliter Kreyssigius. Kreyssigius

autem, cum editionem Livii stereotypam curaret, Bekkeri editionem haud dubie ante oculos habens, caussas easque, ut equidem arbitror, graves habere debebat cur a Bekkeri scriptura discederet. Ut igitur de hoc loco certi tandem aliquid statuerem, iterum eum tractare constitui, nihil supervacanei me suscepturum ratus esse.

Bekkeri enim scripturam, quam veram nemo demonstravit, quis veram habeat? Equidem neminem fore existimo, qui veri investigator in eius verba ita iuret ut nullam superesse difficultatem aut nullum relictum dubitandi locum arbitretur.

Priusquam tamen ad rem adgrediar, Drakenborchii et Kreyssigii scripturam adponam. Drakenborchius autem ita exhibet: *ad exta, sacrificio — adlapsi, edere iecur — intentius exta reserata servarentur: iterum ac tertium venisse tradunt, libatoque iocinore intactos angues abiisse.* Kreyssigius eodem fere modo scribens a Drakenborchio in eo dissentit quod pro *reserata* legit *resecta* et pro *iocinore* habet *iecinore.*

In priore igitur totius loci parte lego cum Bekkero *adedere* reiecta Drakenb. et Kreyssigii scriptura *edere.* Quod cur faciam iam audito. Pal. 1. Gebhardo teste pro *edere* praebet *enere*, ita tamen ut supra primam *e* vocalem scriptam habeat *a* litteram; ad marginem positum invenis *tenere*, *lambere*; in Pal. 3. habes *ademere.* *)

J. Fr. Gronovius nos docet Putean. praebere *adlapsi anaere iecur*, Petav. *anae reietur* (fere idem quod Putean.,

*) Quod habet Pal. 3. *collapsi*, id iam ex eo falsum esse apparet quod solus est codex, qui omnibus aliis *adlapsi* praebentibus *collapsi* exhibeat et quod significantius multo et ad rei naturam accommodatius *adlapsi* quam *collapsi* dictum est. cf. Horat. epod. I. 19. ut assidens implumibus pullis avis
serpentium allapsus timet.

modo aliter syllabas iungas et quidem *anaere ietur* scribas), Florent. *anere* (qui codex Drakenb. auctore inter versus habet *lambere*), Pal. unum, Voss. Men. *enere*, Petav. alterum, Barber. *lambere*, Pal. *ademere*. Ex Drakenborchii libris Harl. habet *lambere*, Lovel. 4. *exedere*.

Jam vero, etsi J. Fr. Gronov. „scribendum sibi videri ait *adedere* i. e. partem eius consumpserunt," tamen id a Bekkero demum in textum receptum a Kreyssigio iterum reiectum est. Mea sententia *ambedere*, quod Gronov. etiam proponit, quamquam non ineptum est verbum, tamen et propter sensum et propter codices non satis est probum.

Ac primum quidem codicum scripturae aperte falsae sunt. Nam *enere* et quae sunt aliae id genus scripturae ne sensum quidem habent.

Lambere, quod est in libris quibusdam, propterea non tolero quod, praeterquam quod non est in optimis codd. neque facile ex optimorum corrupta scriptura restitui potest, non satis quadrat in rem. *Lambere* enim significat quod patrio sermone dicimus: belecken, berühren, ita ut ex re, quam lambimus, nisi aut liquore aquave solvatur aut ipsa sit liquens, nihil usurpemus, sed eam tantum attingamus. Hic vero sensus alius est, cum Livius angues dicat aliquid iecoris edisse; id enim ex sequentibus verbis: *libato iocinere* apparet. Namque totus rerum nexus ac praecipue verba *iterum ac tertium* idem illud angues docent primum fecisse quod postea. Cum vero *libare* significet id quod vernacul. interpretemur: kosten, et cum, qui quid libat, etiam eius quam libat rei aliquid edat necesse sit, et *libare* insuper per se iam significet: etwas Weniges von einer Sache wegnehmen, *lambere* hoc loco ferri non posse clarum est.*)

---

*) De libandi verbo conf. Luenemanni lexic. latino-germ. s. v.

Edere autem recipere non queo primum quod codices optimi ad hanc non ducunt scripturam, (*enere* enim, quod *edere* veram esse scripturam facere possit ut putemus, non praebetur ab optimis) et quod *edendi* verbo non significatur angues non totum iecur, sed eius tantum partem edisse, quod tamen ostendatur necesse est.

Nam et ex sequentibus angues primum non totum iecur edisse clarum est et ex eo quod Livius dicit: *conspectique abierunt.* Etenim iecur si edissent totum, iam ultro abiissent neque tum demum, cum essent conspecti, quippe qui nihil amplius haberent quod agerent. Sed *adederunt* iecur et conspecti, itaque turbati, rem, quam facere volebant, ad exitum non perducentes abierunt. Codicum vero optimorum scriptura facile potuit enasci ex verbo *adedere*, et *a* littera, quam habent optimi in conruptae vocis initio, eo nos ducit ut vocem scriptam fuisse aliquam putemus per *a* vocalem incipientem.

Sensum autem quod adtinet, *adedere* verbum optimum esse iam vidimus.

Ademere, quod est in codice Pal., quamquam aperte vitiosum hoc loco est, tamen verbum per *ad* incipiens verum esse docet et facile ex *adedere* potuit oriri.

a

Etiam Pal. 1. scriptura *enere* ostendit tale quid eius librarium exhibitum vidisse. His quae dixi optimo iure ut argumentum, quo meam scripturam demonstrem veram esse, adiiciam ab Valerio Maximo I. 6. 8. de eodem sacrificio loquente idem adedendi verbum usurpatum. Dicit autem Valer. Maxim. „angues duo ex occulto prolapsi repente hostiae, quam immolaverat, *adeso* iocinore" cet., quibus verbis ostenditur omnes praeter *adedere* scripturas falsas esse.

Neque potest dici Livium aliud vocabulum habere potuisse quam Valer., cum omnino non iisdem usi sint

verbis. Nam res aliter habet. *Prolabi* et *adlabi* non multum, quod sensum attinet, differunt; cogitandi tantum ratio alia est si *prolabi*, alia, sin *adlabi* legamus. Sed res aliter habet in verbis *edere* et *adedere*. Valerius Maximus scripsit angues venisse; utrum prolapsi an adlapsi sint nihil rettulit.

Sed longe aliam posuisset sententiam si eos totum iecur *edisse*, aliam sin *adesse* dixisset. Quare hac in voce usurpanda cautus et accuratus esse debebat, in altera non tanta diligentia opus erat.*)

Deinde in Livii verbis neque ferre possum quod Kreyssigius habet, *exta resecta*, neque quod Drakb. scribit, *reserata*.

Reserata enim exta quid significent equidem non possum adsequi et ipse Drakenborchius „vulgatam, inquit, lectionem, licet aperte falsam, cum tamen codd. testimonio muniatur, reduxi, donec certiora manus Livianae indicia aliunde suppetant."

Neque *resecta* (neque *resecata*) partic. placet propterea quod et ab codicum optimorum scriptura, cuius etiam in corruptis locis rationem ita habere debemus, ut num ex prava scriptura boni aliquid effici possit videamus, abhorret et quod omnino non necessarium est. Nam exta resecta esse debere, si servari et reservari debeant, sponte intelligitur.

Idem de partic. *prosecta*, quod Drakenb. ex coniectura proponit, iure optimo dici potest. Bekkerus quoque hoc particip. omitti posse sentiens omisit. Neque equidem

*) Neque hic solus apud Livium locus est, quo invenitur adedendi verbum, sed est etiam libr. I. 7 fin.: „forte ita evenit ut Potiti ad tempus praesto essent hisque exta adponerentur, Pinarii extis adesis ad ceteram venirent dapem." cf. Cic. pro Quinct. 12.: non adesa iam, sed abundanti etiam pecunia." Hos duos locos adfert Drakenb. ad nostrum locum.

memini de sacrificiis legere *resecare.* Sed ut usurpetur, iam sufficit dixisse *exta reservari.* Forsitan aliquis dicat, cum res ita se habeat uti exposuerim, dici etiam posse ita se habere. At me non habebit consentientem.

Nam primum Livius non solet eas adiicere res, quae sponte intelliguntur, deinde hoc potissimum loco codices docent optimi, ita Livium non dixisse. Etenim si eorum scripturas inspicimus, Palat. 2. videmus habere *exta reserata servarentur*, Putean. *exta resereservarentur*, Voss. Lovel. 2. 4. 5. Berol. Gaertn. Hav. Hearnii D. N. et edd. priscas *exta reserata servarentur*, Lovel. 1. Recan. et veterem Sigonii librum *exta reservata servarentur*, Flor. Cantabr., unum cod. reg. Crevier. *exta reservarentur*, Hearnii L 1. *exta resecata servarentur.*

Jam vero J. Fr. Gronovius cum Salmasio scribendum censet esse: *extares ollae servarentur.* Cum tamen haec scriptura nullo codice firmetur mihi non probatur.

Neque videtur Livius *extaris* adiectivum usurpasse; certe ego nusquam inveni. Neque libr. XXXI. 15, 2. *extaris* adiectivum adhibet, ubi adhibere potuit, sed rem circumscribens id se victimario, inquit, nuncianti parum credentem, ipsum aquam effundi ex *olla*, ubi *exta coquerentur*, iussisse."

Cum apud alios scriptores haec vox inveniatur,*) ne apud Livium quidem inveniri posse negarim; sed neque ego locum, ubi esset, inveni neque ab aliis indicatum vidi. Sed (et id gravissimum est) cum nullum vocis *ollae* in codd. sit vestigium, Salmasii coniectura abeat in oblivionem perpetuam, idemque ut Rubenii non meliori accidat coniecturae ex intimo opto animo.

Hic enim vir doctus *extar servaretur* scribere cum velit,

---

*) Cf. Plauti Rud. I. 2, 47.: semper petunt aut cultrum aut veru, aut aulam (idem quod ollam) extarem.

in ea est sententia ut *extar* putet *ollam* esse, ubi *exta* coquantur.

Num vero usquam *extar* reperiatur praeter gloss. „extar olla, ubi exta coquebantur," nescio; vehementer tamen addubito.

Crevier. aut cum Rubenio *extar* aut, ad veterem scripturam propius etiam ut accedat, *extare servarentur* scribere vult, *extare* ratus pro *extar* ita dici posse, ut *laqueare* pro *laquear*, *pulvinare* pro *pulvinar*.

Sed praeterquam quod ab scriptoribus neque *extar* neque *extare* usurpatum putem, etiam id me impedit quo minus Crevierii scripturam probem quod ea recepta mutari verbi debet numerus. Cum tamen ad unum omnes codices exhibeant pluralem, nullo pacto reiicere possumus.

Et ut *extar* sive *extare* eodem sensu inveniatur quo *olla extaris*, tamen primum num apud Livium reperiatur quaerendum est, deinde utrum aptius sit *extar servare* h. l. dicere an *exta ipsa*.

Et mihi quidem multo videtur aptius cogitare de *extis* quam de *ollis*, ubi exta coquuntur, cum ollae nihil ad rem faciant neque angues exta adederint, si ollis extaribus fuerint inclusa. Sed sine dubio exta in pateram aliquam coniecta erant ita ut angues ea adedere possent. Cum igitur antea non magna cum cura exta reservata essent, quod cur fieret nulla esse caussa videbatur, iam maiore cum cautione ne iterum adederentur provisum est.

Jam possit aliquis dicere, cum ollae sive extaria appellentur et intentius reservari dicantur, sponte adparere etiam exta reservari, quae iis includantur.

Verum id quidem est, sed iam redit res ad codices. Qui cum *ollae* vocis nullum praebeant vestigium, missas faciamus coniecturas istas et retineamus codicum *exta*.

Sed, ut ad aliud quid transeam, ne *reservata* quidem *exta* tolero quod non intelligo, quae sint illa exta reser-

vata. Nam (certe alicui ita possit videri) si sunt exta *reservata*, necesse est etiam alia sint, quae non sint reservata; quae tandem illa sunt?

Neque iuvat dicere verba: *exta reservata* significare id quod nos dicamus: die aufgesparten Eingeweide, cum sponte appareat exta reservari, quippe quae non crementur.

Quare dixisse subficiebat: *exta reservari* neque diceretur necesse erat: *exta reservata servari.* Et pauci tantum neque ii satis boni codices cum *reservata* habeant, non dubito quin optimo iure falsum ducam.

Jam vero Florentinum post eumque praestantissimum librum Cantabr. et unum ap. Crev. regium *exta reservarentur* habere videmus, quod cur displiceat non satis intelligo, praesertim cum etiam Putean., qui exhibet *resereservarentur*, ad hanc scripturam nos ducat.

Saepius enim et in Putean. et in aliis codicibus litteram syllabamve unam pluresve vidi mendose repeti; et id hic quoque factum quis neget esse? Pro *reservar.* igitur repetitis syllabis duabus scriptum est: *resereservar.* Has autem si delemus, optimam scripturam *reservarentur* habemus.*)

*) Exemplum huius litterarum repetitionis habes apud Liv. XXV. 1. 7, ubi in Putean. est: *parietes aboletebuntur*, pro quo J. Fr. Gronov. tam ingeniose quam vere *abolebuntur* scribendum esse dixit. Eodem modo I. 5. fin. in Paris., teste Alschefskio, pro *itinere* scriptum est: *itinerere*, et c. 8. fin. pro *idque primum* in Par. m. 1. *idque primumum.* III. 58. med. Paris. habet: *stabililiri* pro vera forma: *stabiliri.* XI. 56. *discidedite* in Med. est m. 1. pro *discedite*, et ibid. habet Med. *contiontione* pro *contione.* XXV. 41, 1. *repupulisset* pro repulisset est in Pal. 1. Similis est error XXV. 1, 3. ubi Put. Pet. habent: *exercitu actu coacto*, Flor. *exercitu acto coacto*, pro quo cum Drakenb. Bekker. Kreyss. *exercitu coacto* verum habeo, nisi quis Gronovii sententiam veriorem esse ostendat, qua *exercitu ad id coacto* legere velit. cf. III. 19, 4., ubi pro *in perdita domo* scriptum est in Haverc. *in perdita domo modo.* Eadem ratione XXV. 16, 3.: error natus

Sed iam aliquis forsitan *reservandi* verbum huic loco non aptum esse autumet dicatque *servandi* verbum ponendum. Et hac in opinione cum fuisse videantur priores editores, *servarentur* exhibuerunt. Mea autem sententia, quamquam *servarentur* minime aptum esse nego, tamen etiam *reservarentur* probum est.

Reservandi enim verbo respondet vernacula vox „aufsparen," prospicere ne qua res intereat et curare ut etiam alio tempore usui esse possit. Ita Cic. epist. ad famil. XI. 21.: disturbavi, inquit, rem totamque vobis integram reservavi." Liv. XXV. 6, 14.: cum captivis redemptio negabatur, nos vulgo homines laudabant quod rei publicae nos reservassemus. Ovid. Metamorph. XIII. 168.: nate dea, dixi, tibi se peritura reservant Pergama.*)

Servando autem respondet german. „bewahren," neque semper futuri usus ratio habetur. *Servare* ubique, credo, pro *reservare*, sed non ubique *reservare* pro *servare* dici potest. cf. Virg. Aen. I. 207.: durate et rebus vosmet servate secundis; Liv. III. 40, 8.: cum ex consularibus ad ultimum dicendi locum consulto servatus esset," ubi aeque recte habeat *reservandi* verbum.

Cum igitur, quod significatum attinet, non magnum inter utrumque verbum discrimen intercedat, *reservare* h. l. apte dici posse videmus. Nam posteaquam hostia immolata est, exta intentius (futuro usui) reservantur ut haruspices utrum bona sint an tristia videant.

Itaque cum optimi codices stent pro scriptura *exta reservarentur*, non dubito quin recte recipiam, omnes ali-

---

est in cod. Pal. 2, ubi pro *intentius* exaratum est: *in intensius*. Videmus igitur haud raro perperam litteras iterari in codd. Quod si hoc quoque loco factum statuamus, meam quam propono scripturam veram habeamus.

*) Unde saepius invenies dictiones: *in aliud tempus reservare*, *in pericula reservare*, *alias*.

orum codicum scripturas ratus scribarum ex errore esse ortas.

Participium non recte habere etiam eo colligi quodam modo potest quod in codd. tam varie est scriptum. Hoc enim non raro testimonium est supervacanei vocabuli.

Librarii perperam repetitas litteras cum viderent, reliquias eas esse putabant vocis iam mutilae, quae restitui deberet.

Quod denique Drakenborchius et Kreyssigius cum prioribus editoribus exhibent: *iterum ac tertium venisse tradunt libatoque iocinore* (Kreyss. *iecinore) intactos angues abiisse*, id modo nullo probare possum; vera scriptura est: *iterum ac tertium tradunt libato iocinere intactos angues abisse.*

Verba *tradunt libato iocinore* infinitivo *venisse* et *que* coniunctione omissis iam a J. Fr. Gronovio proposita Drakenborchius etsi probavit, tamen in textum non recepit, quare non supervacaneum videtur iterum ea paucis tractare.

Bekkerus mecum faciens in eo tantum errat quod *iocinore* legit. At rem ordine tractemus.

J. Fr. Gronov. legit: *iterum ac tertio tradunt libato iocinore intactos angues abiisse* adnotatque: „Gallici omnes et Voss. spernunt τὸ venisse, dein habent iocinore. Observavimus alibi non semel τὸ que in optimo supervacaneum." Jam vero equidem contra Gronov. cum ceteris editoribus legam *iterum ac tertium.* Cum enim Gronovius utrum habeant codices *tertio* an *tertium* non dicat ideoque utrum ex coniectura an ex codicibus *tertio* velit recipi incertum sit, mea quidem sententia tutius erit *tertium* servare, praesertim cum Drakenb. ex Florent. et Cantabr. dicat nihil ad eam vocem in excerptis notari. Ex eo enim probabile fit eos *tertium* praebere. Non pauci tamen codd. et edd. ante Aldinam habent *tertio.*

Iterum ac tertium apud Liv. habes III. 19, 5. ubi, quamvis non nulli codices et antiquae edd. *tertio* praebeant, tamen, cum Alschefskio teste Paris. Med. cod. Rhen. Harl. 1. *iterum ac tertium* habeant, *tertium* procul dubio verum est.*)

Jam infinitivum *venisse* cum Gronovio auctore neque Gallici habeant codd. neque Voss. neque Drakenborchio teste Flor. Cantabr. Lovel. 1. 4. 5. Harl. Berol. Gaertn. Hav. Hearnii L. 1, nulla remanere potest dubitatio reiicere quin eum debeamus.

Et sane difficultas quaedam in eo posita est quod etiam *que* coniunctionem, quam libri mss. videntur habere omnes, omittere cogimur; sed cum saepius in optimo ms. J. Fr. Gronov. illud *que* dicat supervacaneum esse et Jac. Gronov. dissert. epist. ad Livii loc. geogr. ep. II. p. 15. in hac Liviani operis parte observet saepe perperam a librariis hanc copulam additam vel detractam esse, cumque facilius sit *que* copulam omittere vel hic quoque mendose additam esse existimare quam *venisse* infinit. invitis paene omnibus inque eis optimis codd. inferre, equidem cum doctt. J. Fr. Gronovio aliisque viris faciendum esse statuens pariter *venisse* reiicio ac *que* removeo.

Indocti enim librarii, cum in fine huius sententiae dictum esse viderent „angues abiisse," prius eos venisse dici necesse esse rati *venisse* Livii verbis adiecerunt, quasi non omnibus satis perspicuum esset angues, priusquam libare iecur libatoque eo abire possent, venire debere. Quamquam in ea sum opinione ut *que* copulam omittendam esse existimem, tamen ne quid silentio praetermittam, iam addam me nescire an legi possit: *iterum ac tertium tradunt, libatoque iocinere, intactos angues abisse*, ita ut Livium arbitrer proprie dicere tantum voluisse

*) Sensus ratione habita *tertium* poni debet. cf. Reisig. schol. gramm. lat. §. 118.

angues bis adhuc abisse et deinde explicationis caussa *libato iocinere* addidisse.

Vernaculo si uti licet sermone interpretor: so sollen die Schlangen zum zweiten und dritten Male, nachdem sie auch die Leber gekostet hatten, unversehrt hinweggegangen sein. Intelligere enim posse sententiam existimo unum quemque vel omissis *libato iocinere* verbis, et videre angues idem fecisse quod antea i. e. iecur adedisse. Jam vero, ne obscuri quidquam adesset, cum sane omisso illo ablativo brevius locutus Livius esset, adiiciebat *libatoque iocinere*.

Pro simplici *et* copula *que* habere nollem, sed pro *quoque* esse positum crederem, quod si hic scriptum esset, displicere haud facile posset, cum verba: *tradunt, libato quoque iocinere, intactos angues abisse*, neminem offenderent.

Que particulam autem pro *quoque* apud Livium inveniri non possum negare ex quo Alschefskii dissertationem vernaculo sermone de crisi Liviana conscriptam legi, ubi pag. 27, posteaquam ostendit etiam apud Livium *neque* fere eodem sensu usurpatum reperiri quo ne .... quidem *), ita pergit:

Was Livius betrifft, so ist die Erklärung hier um so weniger schwer, da es ja bekannt ist, wie häufig von ihm *et* für auch gebraucht worden: wobei auch wohl zu berücksichtigen, daß derselbe ebenfalls nicht selten das angehängte *que* in jener Bedeutung genommen habe, wie die besten Handschriften an mehreren Stellen zeigen, wenn gleich sich Fr. Gronov die Mühe nicht hat verdriessen lassen, fast ohne Ausnahme dafür *quoque* zu schreiben, worin ihm denn leider die spä-

*) Cf. etiam Haasii adnot. ad Reisig. schol. gram. lat. 417, qua Reisigii opinionem falsam esse demonstrat.

tern Herausgeber gefolgt sind. So ist z. B. II. 2. die Lesart aller guten Handschriften wieder herzustellen: ac nescio an nimis undique eam (libertatem) minimisque rebus muniendo modum excesserint, und XXX. 18.: Magoque ex subsidiis Gallos integrae legioni opposuit: wo an beiden Stellen noch Bekker quoque für que hat. So sind wir auch überzeugt, daß V. 10. nach dem trefflichen Florentiner Codex und zehn anderen Drakenborchschen zu lesen ist: haec per se gravia indignioraque ut viderentur, tribuni plebis faciebant: wo also *que* beim Comparativ für etiam steht: und V. 16. nach allen guten Handschriften: ad hoc Veientique et Falisco et Capenati bello occupatos videbant Romanos: (wo ebenfalls Bekker Veienti quoque hat) da die Verbindung von *que et* bei Livius gar nicht selten ist.

Ad hos ab Alschefskio laudatos locos conf. quae in Liv. ed. dixit.

Huic autem Alschefskii sententiae non possum non accedere. cf. etiam Reisig. schol. §. 233. Id autem si probaverimus etiam nostro loco optimorum codicum scripturam integram ferre debebimus. Hac denique scriptura probata etiam superius illud *adedere* magis firmatur, cum per *que* (auch) primum idem illud angues fecisse dicantur, quod iterum ac tertium venientes fecisse perhibeantur. Et ita quidem temptare possumus integram optimorum librorum scripturam defendere; sed, priusquam pro certo ita scribendum esse dicam, aliorum virorum doctorum sententias audire velim; interea eam scripturam retineo, quam supra posui.

Jam equidem diu dubius haerebam utrum *iocinore* an *iocinere* scriberem, cum haud facile esset decernere quid verum esset. Sed nunc pro certo adfirmo *iocinere* legendum esse.

J. Fr. Gronovio teste omnes Gallici itaque etiam Putean. habent *iocinore;* Drakenborchius testatur *iocinore* esse in

Lovel. 4. 5. Berol. Hav. atque quibusdam edd. vett., *iocinere* in Flor. Gaertn. et edd. Rom. a. 1472 et Parm. Quam scripturam ut probemus efficiunt Voss. Lovel. 1. Harl., qui mendose *eo cinere* exhibent.

Possit quidem non dubium videri quin recte cum optimis codd. apud Gronov. legatur *iocinore*, praesertim cum Putean. auctoritate Florentinum superet. Sed est cur aliter sentiam. Primum non satis fido Gronovii verbis, cum paullo negligentior his in rebus esse soleat; deinde invenitur haec vox multis apud Livium locis, qui me ut alteram scripturam praeferam movent.

Notum est quintae decadis optimum librum ms. esse simulque unicum Laurishamensem; hic autem Alschefskio teste ad Liv. VIII. 9. 1. habet libr. XLI. 15, 3.: „quod caput iocineri defuisset," item XLI. 14, 7.: „in iocinere caput non inventum"; deinde XXX. 2, 13.: „in Put. Colb. Bamb. est: „consulum alteri primam hostiam immolanti caput iocineris defuit;" denique VIII. 9, 1.: „Decio caput iocineris" ex Par. Leid. 1. ab Alschefskio adfertur, cum Med. habeat *caput iocicineris* (iterum falsa litterarum iteratione).

His locis, quibus optimi quique habent in vocis fine aut *eris* aut *eri* aut *ere*, profecto quisque permoveri debet ut etiam nostro loco cum Florent. *iocinere* legat; sed accedit etiam alia non exigua hac in re auctoritas, Prisciani dico testimonium, quod est VI. 10, 52.*)

Ait autem Priscianus haec: *iecur iecoris vel iocineris, qui genitivus videtur a nominativo iocinus venire, qui in usu non est.*

Equidem igitur praefero *iocinere*, praesertim cum J. Fr. Gronovius hoc loco non satis accuratus esse videatur, quippe qui Voss. dicat *iocinore* habere, qui tamen

*) Locus ab Alschefskio ad l. l. adlatus est.

eo cinere praebet. Fortasse Gronovius significare tantum volebat codd. Gallicos non habere *iecinore*, quod antea scriptum erat, sed *ioc.* Omnes Gallicos et Voss. *iocineris* exhibere ipse Gronov. XXX. 2, 13. testatur, quibus codd. Flor. consentit.*)

Ut igitur veram restituisse mihi videor vocis formam, ita pro certo dico Kreyssigium *iecinore* exhibentem errare, quippe quae forma non hic tantum codicum auctoritate destituta sit, sed etiam iis omnibus quos supra laudavi locis, ita ut Livium usquam hac forma usum esse negem.

Priusquam disputationem de hoc loco finiam, iam me cum Bekkero *abisse* legere addam quod Flor. Voss. Lovel. 2. 3. 5. edd. Rom. 1472. Mediol. 1480. Parm. ita exhibent.

Amat enim Livius contractas illas formas, ut ex multis eisque certis locis apparet. cf. XXV. 37, 8. transisse, XXIII. 45, 3. abisse, II. 36. fin. redisse, XXVI. 2, 14. redisse, XXIII. 22, 11. redisset, I, 42. redisse, XXVI. 1, 1. inissent, XXV. 4, 9. prodisset, XXV. 22, 13. exissent. cf. Drakb. ad IV. 40, 6; VI. 17, 7; XXVII. 19, 10.

Etiam in aliis verbis contractas habet Livius formas, ut: XXV. 4, 8. *prendi* pro *prehendi.* Hoc loco, quamquam in omnibus, quod equidem sciam, editionibus est: *prehendi*, tamen *prendi* vera forma est, quippe quae sit in Flor. Voss. Lovel. 1. 2. 4. 5. Gaertn.; ita etiam IX. 34, 26. *prendi* recte a Gebhardo restitutum est. cf. Drakenb. ad VI. 18, 10.

Jam cum de singulis sat me dixisse et locum rectius et melius restituisse arbitrer, addam interpretationem vernaculam:

---

*) Fortasse ubique apud Livium *iecur* habet genitivum *iocineris*, nec umquam *iocinoris.* Librarii autem facile hac in re poterant errare.

Zu den Eingeweiden schlüpften nach Vollendung des Opfers aus dem Verborgenen zwei Schlangen herbei, nagten die Leber an und eilten, als man sie erblickte, eilig aus den Augen. Da dies Opfer auf Anrathen der Opferschauer wiederholt und die Eingeweide sorgfältiger aufgespart wurden, so sollen die Schlangen zum zweiten und dritten Male, nachdem sie die Leber angefressen, unversehrt hinweg gegangen sein.

Libr. XXVII. 1. § 1. legitur: *hic status rerum Hispaniae erat;* mea sententia parum recte; volo enim: *hic status rerum in Hispania erat.* Ita enim exhibent Gebhardo teste Pal. 2. 3. (3. omittit *rerum*) et Drakenb. auctore Cantabr. Berol. m. 1. Lovel. 4. Hav. Hearnii D. Optimus Flor. praebet scripturam: *hic status rerum Hispania erat.* Alii codices videntur habere *Hispaniae.* Sed Florentini scriptura nos eo adducit ut eius librarium *in* negligentia tantum omisisse putemus.

Nam quod Drakenb. in Florentini scriptura ultimam dicit litteram vocis *Hispaniae* interceptam esse a prima vocis sequentis, id quidem verum esse potest, sed certum id esse nequit demonstrari; atque eodem iure quo Drakenborchius illud dicit, ego *in* praepositionem adfirmare possum ab *rerum* vocis ultima littera esse interceptam; et id ne Drakenborchius quidem negat.

Utrumque errorem saepe reperiri ipse Drakenborchius exemplis ad X. 13, 3. et XXIII. 8, 9. adlatis ostendit. Et priore quidem loco permulta attulit exempla, ubi *in* praep. ab *m* consona antecedente est intercepta.

Cf. VII. 7. 6, ubi *extra ordinem etiam in acie locati* legendum est; sed ab Klockian. *etiam acie* exaratum. VII. 17, 5. pro *cum in ipsos armatos* Voss. 2. Lovel. 3. habent *cum ipsos armatos.* X. 22, 9. Leid. 1. omittit *in* quod *prorogatum* praecedit.

Jam vero, cum et mea et Drakenborchii sententia vera esse possit, quaeritur quae propius ad veri similitudinem accedat, id quod tantum ex codicum scripturis potest intelligi.

Et vidimus quidem Pal. 2. et Cantabr. praeter alios exhibere *in* cum ablat. De Flor. res dubia maneat.

Jam quod Drakenborchius se plures dicit *Hispaniae* legentes sequi malle, id, cum non tam codicum numerus quam auctoritas et pretium quid legendum sit docere possit, mihi non probatur.

Nam optimi, qui hic in discrimen possunt vocari, habent *in* cum abl., quos sequor.

Mutandi caussa mihi sola sita est in codicum scriptura; nam quod genitivus scriptura *Hispaniae* servata ex genitivo pendeat, id me non impediat quo minus *Hispaniae* legam, cum saepe numero apud Livium eiusmodi invenerim constructiones pariter atque apud alios scriptores. cf. Drakenb. ad Liv. XXV. 15, 11, ubi verba: *et fraudis intestinae et hostium insidiarum ignarus* ab J. Fr. Gronovii coniectura defendit, qui pro *hostium* scribere vult *hostilium* invitis omnibus manu scriptis. Praeter alia huc pertinentia exempla conf. etiam Liv. praef.: utcumque erit, iuvabit tamen rerum gestarum memoriae principis terrarum populi pro virili parte et ipsum consuluisse. XXIII. 30, 3.: absumptis enim frugum alimentis carnisque omnis generis quadrupedum," alia.

Sed quamvis non offendere possit ea dicendi ratio qua genitivus ex genitivo pendeat, tamen tutius erit h. l. *in Hispania* scribere. Et facile poterant errare librarii, praesertim cum *rerū in H.* scriptum esset. Verba autem: *hic status rerum Hispania erat* falsa cum viderent esse, ablativum mutabant in genitivum.

Ceterum prorsus eamdem dictionem habes apud Livium XXII. 22, 1.: „*hoc statu rerum in Hispania* P. Scipio in provinciam venit."

Libr. XXVII. 1. §. 7. vulgata scriptura est: *par audacia Romanus, consilio et viribus impar, copiis raptim eductis, conflixit.* Sed ego lego: *pari audacia Romanus consilio et viribus impar* cet.

Rhenanus dicit: „emendavimus *par audacia Romanus*, nam sequitur: *consilio et viribus impar.* Et sic est in libro scripto." Itaque ante Rhenanum legebatur *pari*, ut ego volo.

Secundum Gebh. Pall. 1. 3. et vet. ed. habent *pari audacia;* sec. Pal. *par audacia Romanis.* Drakenborchius posteaquam Flor. Cantabr. Voss. Lovel. 1. 2. 3. 5. Berol. a m. 2. Hafn. Gaertn. Hav. dixit praebere: *pari audacia Romanus*, pergit: consentio tamen Rhenano." Aliter mihi videtur res habere.

Certum enim est criticum, ut firmum habeat rei criticae fundamentum, ubique, modo fieri possit, codicum scripturas servare debere. Hic autem codices docent *pari* legendum esse, praesertim cum sensus aeque bonus et aptus sit *pari* scriptura atque *par* servata.

Quod enim Rhenanus dicit, propterea legi debere *par* quod *impar* sequatur, id pro nihilo habeo. Quis enim, quaeso, Rhenanum docuit Livium duas sententiae partes, quibus quo modo Romani pugnarint exponit, eadem ratione compositas hic collocare voluisse? Hoc autem cum demonstrari nequeat, ne permovere quidem nos potest *par* ut legamus.

Et equidem iudico iam ex eo quod ambae sententiae partes diverso modo sint compositae, quodam modo concludi posse ablativum *pari* praeferendum esse. Etenim qui Livium vel obiter cognovit, is non ignorat eum variare orationem in deliciis habere.

Quid porro invenusti, ne dicam falsi, in scriptura *pari*, quam recentiores ad unum omnes reiecerunt, insit, ego adsequi non queo.

Ac duplici quidem modo locum interpretari possumus, ita quidem ut *impar* aut adiectivum ad nomen *Romanus* additum aut adpositionem habeamus; patrio sermone interpreter aut: mit gleicher Kühnheit kämpfte der an Einsicht und Streitkräften ungleiche Römer, aut: mit gleicher Kühnheit kämpfte der Römer, ungleich an Einsicht und Streitkräften.

Mea tamen sententia melius est *impar* adiectivum putare esse quam adpositionem; quare equidem nullum inter vocabula *Romanus* et *consilio* posui interpungendi signum, quod, quamvis non necesse esset poneretur, si *impar* adpositio haberetur, tamen a non nullis hoc loco forsitan requireretur.

Alia etiam caussa est, quae *pari* ostendat praeferendum esse. Confligendi enim verbum efflagitare aliquid videtur, quod quo modo Romanus pugnarit significet. Namque non sufficit Romanum dicere conflixisse,*) sed rationem etiam pugnandi addi oportet. Et haec pugnandi ratio optime significatur codicum scriptura *pari* servata.

Possit sane aliquis mihi obloqui, etiamsi „Romanus par audacia conflixit" dicatur, tamen quo animo pugnarit significari. Cui sententiae quamvis non prorsus falsae equidem non subscribo quod nullam omnino caussam video cur *par* praeferatur. Nam ex eo quod Livius quid voluerit intelligitur scriptura *par*, non sequitur eam esse veram. Melius est adverbium vel vocabula quaedam adverbii loco posita ad *conflixit* addere, ut pugnandi ratio accuratius significetur.

*) Hoc enim per se iam ex toto rerum nexu apparet; cum pugnam ineat Romanus, quid aliud, quaeso, facere potest quam confligere?

Quae Pflugkius de Eurip. Hecub. v. 1185. 86. dicit, ea falsa sunt.

Eurip. Orest. v. 100. legendus est:

ὀρθῶς ἔλεξας, οὐ φίλως δέ μοι λέγεις.

Methodum, quam vocant, Rudhartianam plus incommodi quam commodi gymnasiis adferre existimo.

Philologiam nego esse linguae tantum cognitionem.

Falluntur qui ab scholasticis, quos vocant, philosophis philosophiam abiudicent.

Natus sum *Carolus Guilelmus Eduardus Welz*, fidei catholicae addictus, *Cervimontii s/i.*, die XVII. m. Mart. a. huius saeculi vicesimo, patre *Joanne*, matre *Maria*, e gente *Schuetziana*. Primis litterarum elementis in schola patria imbutus sum, quae etiamnunc floret *Roeslero* rectore.

Anno huius saeculi XXXIV. gymnasio Cervimontano, cuius etiamnunc rector est praestantissimus *Carolus Linge*. traditus egregios nanctus sum praeceptores, e quorum numero *Lingium*, *Balsamium*, *Schubarthium*, vv. dd., optime de me meritos nominare liceat. Eiusdem saeculi anno XL. maturitatis testimonio instructus in inlustrissimam litterarum sedem, quae Vratislaviam ornat, migravi et a *Gauppio* clarissimo rectore inter cives academicos receptus apud philosophos decano, v. cl. *Weber*, nomen dedi. Inde interfui scholis virorum cll. dd. *Schneideri*, *Ambroschii*, *Haasii*, *Roepellii*, *Stenzelii*, *Branissii*, *Thilonis*, *Pohlii*, *Frankenheimii*, *Wagneri*, *Behnschii*.

Praeterea mihi contigit ut per biennium exercitationibus seminarii regii philologici, quod cura atque moderatione directorum doctissimorum *Schneideri* et *Ambroschii* etiamnunc floret, et *Kutzenii* et *Roepellii* exercitationibus historicis aliquantum temporis interesse possem.

Praecipue *Ambroschium* v. cl. d. hic nominare liceat, qui paterno semper me amplexus est amore et quotienscumque eum adii cum magnam suam humanitatem tum insignem erga me benevolentiam prodidit.

Praeter hos viros doctissimos clarissimos, quibus gratissimum me semper animum praebiturum profiteor esse, singularibus denique laudibus efferendus est frater meus dilectissimus, *Hermannus*, vir summe reverendus, qui omni beneficiorum genere ita me devinxit ut quantum ei debeam non modo non hic, sed in universum nullo veniente tempore verbis comprendere possim.



